

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Samuel Schelwig


**Theses De Tempore, Ex Augustana Confessione Eiusque Apologia deceptae :  
quarum collatio cum Porismatibus inde deductis, Novam Pietatis methodum ... a  
primariis hisce Ecclesiae Evangelicae Symbolis longissime discedere, manifestat**

Gedani[i]: Stetini: Gedani[i]: Stetini[i]: Plenerus: Stollius, 1698

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777761580>

Druck    Freier  Zugang





L.a.-d 420 p. Aug

212 p.

104 p.

W.f. 103 p.

64 p.

26 p.

19 p.

21. 210 p.

64 p.

52 n.

23 p.

16 p.

16 p. 38 p. 7nd

8 p.

16 p.

121 - 140 p.

Fg. - 1069<sup>1</sup>-27.

51. c. 6.



## Contenta.

1. Anteversus Recensionis, cum præfatione D. Spencerii.
2. D. Schelyvius pars III. De Sacramentis Prædictarum.
3. D. Denckmann deuixit Fratres Augustini et Augustini.
4. Brunneanus armaturam ubi Stolzus.
5. D. Schelyvius Theses de Tempore.
6. Leopoldus doctrina de Fundamento Fili.
7. Thomasius Disq. de fine Principis circa locuticos.
8. Defensio fortissima de Fundamento Sicutis.
9. M. Rots Thesistica et dogmata ad D. Thomam.
10. Eadem Epistola ad Thomam.
11. M. Stiffeli Lector Monitoria.
12. Eadem Additamenta Lectionis.
13. Atavia Caroli Epistola ad Amic.
14. Apia et. Nöniq. Poln. Batyle iux. Thomam.
15. Finlini Tocennus Hungaricae Regni Descriptio.
16. D. Mayeri quifig. Varietate Quatuor Quodlibet.
17. Eadem Dicitur Und Minister emendatur Doctor.
18. Dr. Finch Explicatione der tunnianian amicar nuncemigo.
19. D. F. A. Hmit deuia Angliae Reddigelostre.
20. Vake Brundibigan Briony, 3 mi Redd says.
21. Eadem Argumenta refutatione ex lumine natæ probantia.
22. D. Mayeri Epistola ad Vakin de Sec maa.
23. Vake Epistola Responsoria, quod proliminaria.
24. Eadem Responsoria quod vindicias.
25. Flosculi quidam ex scriptis Vakianis.
26. D. Mayeri gratulat. Vakio retraditionem.
27. Vake Epistola proo. Gratulatione
28. Mayeri contradictionis tabes oblera.

5

THESES DE TEMPORE,  
EX  
**AUGUSTANA**  
**CONFESSIO NE EJUS-**  
**QUE APOLOGIA**

decerptæ,  
quarum collatio  
cum

*Porismatibus inde deductis,*  
Novam Pietatis methodum,  
in dogmatibus & praxi,  
a primariis hisce Ecclesiae Evangelicæ Symbolis  
longissimè discedere,  
manifestat.

Has

**Studio sa Ju ventus**

Athenæi Gedanensis  
a XIV. Octobris M DC XCVII usq; ad  
III. Martii M DC XCIX.  
in ordinariis Disputationibus excus sit, ce  
Præside,

**SAMUELE SCHEL GUIGIO,**

S. Theol. D. & Prof. Publ. Athenæi Rectore  
& ad SS: Trinit. Pastore,

---


GEDANI ET STETINI,  
apud JOHANNEM ADAMUM PLENERUM, Bibliopolam  
Stetinensem, M DC XCIX.

Viro Summè Reverendo & Magnifico,  
D O M I N O  
**D. JOHANNI FECHTIO,**  
Theologo celeberrimo, deq; Ecclesiâ  
universâ longè meritissimo, Academiæ Rostochiensis  
Prof. Publ. & districtus illius Superintendenti vigilantissi-  
mo, Consistorii Mecklenburgici Assessori  
gravissimo &c.

Domino Fautori atq; in JESU CHRISTO  
Fratri Conjunctissimo

S. P. D.

SAMUEL SCHELGUIGIUS D.



**N**emissima omnino & omni exceptione  
majora sunt, qvæ stanno Typographi  
Rostochiensis XIIII. Decembris, superio-  
ri anno ad me scribebas, quod Pietatis  
altera pars sit rectus de DEo rebusq; divinis sensus, si-  
ne quo cultus supremi Numinis, Pietatis titulo menda-  
citer superbiat & cœcæ superstitionis nomine dignus  
sit. Neque abs re addis: Ecclesiastam nostram hodie di-  
versis pestibus affligi: ex uno nimirum latere profanâ  
credendi licentiâ, quam vel Atheismum vocare possi-  
mus, vel Naturalismum, quibus se hujus seculi homines  
involvant; ex altero sanctâ superstitione, quam meri-  
tò vel Pietismum appellemus, vel Fanaticismum, cui  
cateri, qui omnium maximè à mundo remoti esse videri  
volunt, sint immersi. Utriusq; verò periculum eos, qui  
civilibus negotiis dediti sunt, vulgo neq; indagare satis,  
neq; penetrare, & cœco nonnunquam affectu in alteru-  
rum ferri. Ita, inquam est, ut censes, nec quisquam  
in compendio melius, atq; à Te factum est, hodier-  
nam Ecclesiæ Evangelicæ faciem depinget. Huc  
unius ex noxâ & furiis delapsi sumus, ut susq; deq;  
habitis pristinæ concordia symbolis, pleriq; sua

tantum, & paucissimi ea, quae Christi ac Ecclesiae sunt, querant: multiq; pietatem cum dispendio veritatis venentur, longe autem plures, cum veritate, ipsam etiam pietatem rideant, aut sub nomine ejus, licentiam quidvis & tandem nihil omnino credendi, invehant. Redeunt nunc eheu! & Evangelicum quoque cætum feralia tempora premunt, de quibus istud Pauli haud incommodè usurpaveris: (2. Thes. II. II, 12.) *Mittet Deus operationem erroris, ut credant mendacio & judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Quid vero nobis faciendum, qui divinâ vocatione, veluti in speculâ constituti, advertere jubemur, ne quid Ecclesia capiat detrimenti? Agnoscamus, contemtum Verbi & Ministerii sic, imo & gravius, haud immerito castigari. Usque adeò nostro malo edocemur, *justum esse Dominum & justa esse judicia ejus:* Sed absit, ut complicatis manibus otiosi fatorum impendentium catastrophen expectemus. Patent adhuc gratiae fores, quas humillimâ deprecatione pulsemus, atque interea rem DEI in Ecclesiâ, ipius domo, quâ fieri poterit, diligentiâ urgeamus: ut vecordia seducentium redundatur: oculis, auribus animisque seductorum meliora monstrentur: qui seducti nondum sunt, in viâ rectâ conserventur. Eò omnia tendunt, quae hactenus pro

pro veritate à nobis, aut lingvâ, aut calamo ge-  
sta sunt, à Te præ primis, Vir celeberrime, qui in-  
ter orthodoxiæ assertores, non aliter atq; inter ignes  
Luna minores, ætate, prudentiâ, doctrinâ, meritisq;  
longè plurimis fulges. Dissertationes, quæ Te vel  
Autore, vel ad minimum Præside, prodierunt, sub  
nomine *Thesum ex universâ Theologiâ Biblicâ, Patri-  
sticâ, Polemicâ & Morali decerptarum*, item de *Chi-  
liasmo subtili*, de *Ordine modoq; gratiæ diuinæ in con-  
versione hominis, ac de Versione B. Lutheri Germani-  
câ*, nec non in *Epistolam Judæ & Apocalypsin &c.*  
quanto zelo doctrinæ puritatem ad posteros trans-  
mittere coneris, abundè loquuntur. Utinam verò  
prælectiones etiam Novatoribus oppositæ, tantoq; que  
cum applausu, non ab iis solùm, qui præsentes inter-  
fuerunt, sed ab aliis etiam quam plurimis, longè Ro-  
stockio dissitis, iterum iterumq; descriptæ, aliquan-  
do Typographi operâ toti Ecclesiæ innotescerent.  
Hoc sanè factò cordatos qvosq; & rectè sentientes  
ineffabili beneficio Tibi obstringes, & nisi prorsq; fal-  
lor, alias etiam haud paucos, qui aut veritate jam ex-  
ciderunt, aut ad sequiora inclinant, illos quidem ad  
orbitam reduces, hos verò in officio continebis. Ser-  
vet Te Deus & à morbis, cum quibus, ut virtus Do-  
mini in infirmitate tuâ perficiatur haud rarò confli-  
ctari soles, diutissimè immunem præstet, ut quam-  
primùm thesâuro illo potiamur, Tibiq; tanti mu-  
neris


neris auctori gratias, ut par est, exsolvamus. Sed nee minori desiderio tenemur *Commentationis tuæ de Lectione sacrarum literarum*, in quâ procul dubio nænias Pneumaticorū modernorū, quas Schyvenck-feldio VVeiglioque præminentibus didicerunt, feliciter confundes. Jamdiu est, quòd egregium op9 veluti in carcere detinetur, atque publicam lucem affectans, cum quadam impatientiâ tenet,

Objectos caveæ valeat si frangere clathros. Agendum dimitte captivum eidemq; licentiam ad lectorses ipsius cupidissimos exeundi, tandem conceude. Favorabilibus & inæstimabilibus rebus libertas accensetur: Hanc ergo cur pulchello fœtui invides, qui magno cum applausu à cordatis & rectè sentientibus qvibuscunque excipietur? Mea hæc, quæ ad Te transmitto, levidensia sunt & juventuti ad Academias præparandæ proposita. Nimirum ex Augustana Confessione ejusq; Apologia, præcipuis Ecclesiæ Evangelicæ Symbolis, Theses excerpti, moderno tempori convenientes, qvas propterea *Theses de tempore* vocare placuit. Iisdem verò subjunxi Porismata Novatoribus hodiernis opposita, à quorum nominibus abstinui, cum pleraq; in Pietismo Sectario, adductis eorum hypothesibus, ipsisq; etiam, quibus usi sunt, verbis, legantur. Spero me sic obtenturū, ut cum multi alii apertis oculis cæcutire, quām in solis, quod ajunt, mensâ sibi obversantia vide-

re

re & agnoscere malint; Studiosi , nullo ejusmodi  
præjudicio fascinati , à teneris sibi persvaderi patian-  
tur, non de caprinâ, quam vocant , lanâ, sed de arti-  
culis fidei gravissimis, quorum epitomen libri sym-  
bolici exhibent, nunc controversiam agitari. Quan-  
doquidem igitur lucubrationum mearum scopus  
proximus præcipiuusq; non est , ostendere , quid ve-  
rum & falsum sit ; sed quid libris symbolicis conve-  
niat, aut quid ab iis dissentiat ; medium , quem dici-  
mus, terminum, ex quo conclusiones deducuntur,  
non ineptè, ut opinor, ex libris Symbolicis petii. Ta-  
metsi enim Confessiones Ecclesiæ non habeamus  
pro principio primo & ultimo cognoscendi ipsam  
doctrinæ veritatem ; haud tamen abs revendantur  
pro principio cognoscendi docentes , utrum hi do-  
ctrinam Ecclesiæ ex Scripturâ, tanquam unico &  
quidem independente principio, haustam, Symbolis-  
que expressam, foveant, nec ne. Quantum verò, sal-  
tem apud nostros, lucremur, si laryam istam Novato-  
ribus detrahamus, ne ulterius, tanquam ejusdem fi-  
dei consortes , parùm cautis imponere queant , pro  
eâ, quâ polles & sapientiâ & prudentiâ, Vir celeber-  
rime, agnoscet. Cæterùm limatisimo judicio tuo,  
quæ scripsi, subjicio, Deumq; ex animo veneror , ut  
Te Ecclesiæ decori & præsidio quâm diutissimè sa-  
num & in columem esse jubeat. Vale mihiq;, cultori  
virtutum tuarum, fave. Scribebam Gedani d. 30 Mar-  
tii M. DC. XCVIII,

Concil.



## Concil. Constantinopol. V. Anathem. II.

Si quis non anathematizat Arrium, Eunomium,  
Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychen,  
cum impiis eorum consortibus & alios omnes hæreticos,  
qui condemnati sunt ab Ecclesia. ET EOS, QUI  
SIMILIA PRÆDICTIS HÆRETICIS SAPIUNT, & in suâ impietate permanerunt & permanent, talis anathema sit.

Ignatius ad Philadelphenses Epist. 9.

Osores Dei ( quales ibidem , qui se abscondunt à veritate, esse perhibentur ) ET vos odisse oportet, ET super inimicos illius tabescere, non autem percutere aut persequi illos, ut gentes faciunt, quæ ignorant Deum ET Dominum ; sed pro hostibus habere tales, ET ab iis segregari: commonefacere autem eos, ET ad pœnitentiam cohortari, si forte audiant, si forte manus dent, monitis q̄ cedant, Clemens enim est DEUS noster, ET omnes homines vult salvari, ET ad veritatis agnitionem venire.

## ERRATA,

Extantiora, sequentem in modum corrigantur. Part.  
I. Art. 4. Porism. 3. l. 5. pro relinqvit leg. relinqvunt. Art. 13.  
Th. 3. Porism. 2. l. 1. pro Ecclesiastico leg. Enthusiastico. Part.  
II. Art. 5. Th. 3. Porism. l. 7. 8. 9. legendum : Exempla sanè prostant eorum , qui hisce Novatorum dogmatibus perterriti  
& ad desperationem adacti , aut manus sibi ipsis injecerunt , aut ne injicerent , vix prohiberi potuerunt.



IN NOMINE JESU!  
Thesum de Tempore  
Ex  
**AUGUSTANA CON-  
FESSIONE EJUSQUE  
APOLOGIA,**

Et quidem Art. I. II. III. & IV. retentis ferè ipsis  
librorum Symbolicorum verbis,  
excerptarum

**M A N I P U L U S I.**

*Quas,*  
Cum Porismatibus inde deductis,  
**P R A E S I D E**

**SAMUELE SCHELGUIGIO,**

S. Theol. D. & P.P. Athenæi Rectore

& ad SS. Trinit. Pastore,  
Publicæ disputatiunculæ subjicit  
**R E S P O N D E N S**

**ZACHARIAS DEZIUS**, Colbergâ-Pomeranus,  
OPPONENTIBUS

THEODORO JOHANNE WILICHIO, Bütoviensi, Pom.

&

JOSUA MATTHÆO HESSIO, Colbergâ Pom.

Habebitur in Auditorio ordinario

d. XIV. Octobris M DC XCVII.

---

**G E D A N I,**

Excudit JOHANN-ZACHARIAE STOLLII.

VIRIS

Admodum Reverendo, Amplissimo, & Dottissimo,  
DN. JOHANNI STRAUSSIO,

ad æd. D. Johan. Symmystæ vigilantissimo,  
ut &

Nobilissimo, Speciosissimo ac Prudentissimo,

DN. CHRISTOPH. ANTON. BALEMANNO,

Centum-viro & Antistiti ad Æd. D. Joh. dignissimo  
& Negotiatori florentissimo:

Dominis Patronis, Mæcenatibus, Evergetis devoto  
animi cultu atq; observantia colendis

Theologicas hasce primitias, in debitæ gratitudinis  
tesseram, ulteriore Eorundem sibi favorem  
conciliaturus, consecrat

RESPONDENS.

Ex ARTIC. I. de DEO.

Ecclæ magnò consensu apud nos docent, Decretum Nicenæ Sy-  
nodi, de Unitate Essentiae Divinæ & de tribus Personis, verum  
& sine ullâ dubitatione credendum esse p. 9. Constanter affir-  
mamus, aliter sentientes extra Ecclesiam Christi & idololatras esse  
& Deum contumeliam afficere p. 50.

1. Ergo Concilium Apostolorum Hietosolymitanum Act.  
XV. descriptum, quāvis pro sanctissimo habeamus, immeri-  
tò tamen venditatur pro UNICE sancto; quasi præter illud nul-  
lum aliud Concilium fuisset sanctum.

2. Ergo qui de Nicenæ Synodo & Patribus ibi congregatis,  
præcipueque de Decreto aut Symbolo ejusdem abjecte scri-  
bunt, aut sentiunt, ab Augustanæ Confessione, quin imò assen-  
tentia totius Ecclesiæ Christianæ, Decretum hujus Synodi ma-  
ximo consensu approbante, recedunt.

3. Ergo ingenii novarentis signum est, iis etiam, qui in  
Ecclesiæ Christianæ gremio nati & educati sunt, veniæ spem  
facere

faceret si vel maximè distinctas personas, in eadem Divinâ essen-  
tiâ, sive ut Symbolum Athanasianum loquitur, Trinitatem in  
Unitate profiteri recusent.

4. Ergo extra Ecclesiam Christi semetipsum relegat, qui  
dogma de personis in divinitate cavillando, horrendam Sa-  
bellii hæresin ex orco reducit.

*Ex ARTIC. II. de PECCATO ORIGINIS.*

Scripsit Lutherus, quod Baptismus tollat reatum peccati origi-  
nalis, etiamsi materiale, ut Adversarii vocant, peccati maneat, vide-  
licet concupiscentia. Addidit etiam de materiali, quod Spiritus  
Sanctus datus per Baptismum, incipit mortificare concupiscentiam  
& novos motus creat in homine. Ad cundem modum loquitur  
& Augustinus, qui ait: Peccatum in baptismo remittitur, non ut  
non sit; sed ut non imputetur. Hic palam fatetur, esse, hoc est ma-  
nere peccatum; sed ut non imputetur. Et haec sententia adeo pla-  
cuit posteriortibus, ut recitata sit in Decretis. Et contra Julianum  
inquit Augustinus: Lex ista, que in membris, remissa est regene-  
ratione spirituali & manet in carne mortali. Remissa est, quia  
reatus solitus est Sacramento, quo renascuntur fideles; manet au-  
tem, quia operatur desideria, contra que dimicant fideles. p. 56.  
57. Cum nominamus concupiscentiam, non tantum actus seu fru-  
ctus intelligimus, sed perpetuam naturæ inclinationem p. 51.

I. Ergo fanaticis persvasionibus annumerare licet opinio-  
nem illam, quod in Regenitis perversæ inclinationes frequen-  
tibus exercitiis ita debilitentur, ut motus earum raro à rege-  
nitis sentiantur.

2. Ergo somnium de perfectione juxta legem & sanctitatem  
quadam angelicâ, ad quam in hac vitâ perveniamus, explo-  
dendum est.

*Ex ARTIC. III. de FILIO DEI.*

Christus ascendit ad cœlos, ut sedeat ad dextram Patris &  
perpetuò regnet & dominetur omnibus creaturis, sanctificet creden-  
tes

tes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu Sancto, regat, consoletur ac vivificet eos, ac defendat adversus Diabolum & vim peccati. Idem Christus palam est redditurus, ut judicet vivos & mortuos &c. *juxta Symbolum Apostolorum* p. 10.

Ergo Majores nostri, qui Aug. Confessionem conscripsierunt & Carolo V. obtulerunt, redditum Christi ad regnum Chilasticum in terris erigendum, seu, quod alii mollieribus verbis efferunt, ad meliorum temporum restitutionem, non crediderunt: alioqui ejus hic, ubi fieri & potuisset & debuisset, mentionem facere haudquaquam prætermisissent.

*Ex ARTIC. IV. de JUSTIFICATIONE.*

I. In controversia de Justificatione, PRÆCIPUUS locus doctrinae Christianæ agitatur, qui recte intellectus illustrat & amplificat honorem Christi & afferit necessariam & uberrimam consolationem piis conscientiis p. 60.

(1.) Ergo nihil hic minutum est, quod errantibus, nisi animum stylumque mutent, condonari queat. Ad hunc sanè articulum in Formulâ Concordiæ Art. 3. p. 683. allegatis Lutheri verbis, applicatur illud Apostoli Gal. V. 9. *Paululum fermenti totam consperionem fermentat.*

2. Ergo quicquid necessariam consolationem piis mentibus eripit, ex articulo hoc proscribi debet; cujusmodi sunt nova aut ex orco reducta dogmata, quibus imposterum contradicemus.

II. Non patiantur se bona mentes depelli ab hac sententiâ, quod tantum fide accipiamus remissionem, propter Christum: In hac habent certam & firmam consolationem, adversus peccati terrors & adversus eternam mortem & adversus omnes portas inferorum. P. 75.

Ergo fugiendi & detestandi sunt, qui præter fidem alia insuper media, per quæ salus & consequenter etiam remissio peccatorum accipiatur, commendant, nempe abnegationem sui, susceptionem crucis, sequelam Christi &c.

IN NOMINE JESU!  
Thesum de Tempore  
Ex  
**AUGUSTANA CON-  
FESSIONE EJUSQUE  
APOLOGIA,**

Et quidem Art. IV. retentis ferè ipsis librorum  
Symbolicorum verbis excerptarum,

**MANIPULUS II.**

Quas

Cum Porismatibus inde deductis,

*PRAESIDE*

**SAMUELE SCHELGUIGIO,**

S. Theol. D. & P. P. Athenæi Rectore

& ad S. S. Trinit Pastore,

Publicæ disputatiunculæ exponit,

*RÉSPONDENS*

BARTHOLOMÆUS HAUCK, Stargardiæ Borussus,

OPPONENTIBUS

JOHANNE TIMOTHEO FEREST, Wittebergæ Saxone,

&

JOHANNE LINDEMANNO, Sundæ Pomerano.

Habebitur in Auditorio Ordinario

die XXI. Octobris M DC XCVII.

---

*G E D A N I,*

Typis JOHANN-ZACHARIÆ STOLLII.

VIRIS  
PLURIMUM REVERENDIS ET AMPLISSIMIS,  
**DN. JOHANNI CHRISTOPHORO**  
**ROSTEUSCHERO,**  
**DN. JOH. JACOBO HOYNOVIO,**

Illi ad Ædes S. Barbaræ, Huic ad Ædes S. Spiritus Symmystis  
vigilantissimis,

*Patronis, Mæcenatibus ac Fautoribus Magnis,*

Hoc qualecunque Schediasma, in debitum gratitudinis mo-  
numentum, pro acceptis innumeris beneficiis, ac in ulte-  
riorem sui, studiorumq; commendationem, cum voto o-  
mnigenæ felicitatis, eâ quâ decet observantiâ dedicat

**RESPONDENS.**

III. **E**i qui non operatur, eredit autem in eum, qui justificat impi-  
um, reputatur fides ejus ad justitiam. Hic clare dicit, fidem  
ipsam imputari ad justitiam. Fides igitur est illa res, quam  
Deus pronunciat esse justitiam, & addit gratis imputari, h.e. quem-  
admodum paulò post exponitur, sine operibus p. 77. Si fides  
accipit remissionem peccatorum propter dilectionem, semper erit  
incerta remissio peccatorum; quia nunquam diligimus tantum  
quantum debemus: imo non diligimus, nisi certò statuant corda,  
quod donata sit nobis remissio peccatorum. p. 81. Solâ fide &  
quidem propriè dictâ accipitur remissio peccatorum: quia pro-  
missio non potest accipi nisi fide. Est autem fides propriè dicta, que  
assentitur promissioni. De hac fide loquitur Scriptura: Et quia  
accipit remissionem peccatorum & reconciliat nos DEO, prius hac  
fide justi reputamur propter Christum, quam diligimus ac legem fa-  
cimus; et si necessario sequatur dilectio p. 81. 82. Impossibile est  
diligere, nisi prius fide apprehendatur remissio peccatorum p. 66.

Ergo falsissimum & formæ sanorum verborum è diametro  
contrarium est, quod justificemur per fidem efficacem h. e. in  
ipso justificationis actu, jam opera secum habentem. Legimus  
enim (1.) quod fides ad justitiam imputetur non operanti (2.)  
quod idem illud contingat sine operibus (3.) quod prius justi-  
repu-

reputemur propter Christum, quām diligimus, ac legem facimus  
(4.) quod dilectio (quo nomine omnia opera comprehen-  
duntur) justificationem sequatur (5.) quod impossibile sit dili-  
gere, nisi post remissionem peccatorum, id est, post justifica-  
tionem. Si vero fides in actu justificationis jam opera secum  
traheret, sequeretur (1.) quod fides imputetur operanti (2.)  
quod idem illud contingat cum operibus (3.) quod in eo,  
dum justi reputamur, jam diligamus ac legem faciamus (4.)  
quod ut fides, ita pariter dilectio, præcedat justificationem (5.)  
quod possibile sit diligere in eo, dum remissionem peccatorum  
consequimur. Quæ omnia cum Apologiâ nostrâ evidentissi-  
mè pugnant. &c.

IV. Legi nunquam satis fit, p. 63. Add. p. 122. 125. Lex o-  
mnes facit peccatores p. 79. In hac vitâ non possumus legi satisface-  
re; quia natura carnalis non desinit malos affectus parere; et si his  
resistit spiritus in nobis. p. 87. Quid opus est longâ disputatione?  
Tota scripturas tota Ecclesia clamat, legi non satisficeri. Non igitur  
placet illa inchoata legis impletio propter seipsum; sed propter fidem  
in Christum: Alioquin lex semper accusat nos. Quis enim satis di-  
ligit, aut satis timet Deum? quis satis patienter sustinet afflictiones  
à Deo impositas? quis non sèpè dubitat, utrum Dei consilio, an  
casu regantur res humanae? quis non sèpè dubitat, utrum à DEO  
exaudiatur? quis non sèpè stomachatur, quod impii fortunâ melio-  
rentuntur, quām pii; quod pii ab impiis opprimuntur? quis sa-  
tis facit vocationi sue? quis diligit proximum sicut seipsum? quis  
non irritatur à concupiscentiâ? Ideo Paulus inquit: Non quod vo-  
lo bonum, hoc facio; sed quod nolo, malum. Item: Mente servio  
legi Dei: carne autem servio legi peccati. Hic aperte predicit, se  
legi peccati servire. Et David ait: Non intres in judicium cum  
servo tuo; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.  
Hic etiam servus Dei deprecatur judicium: item: Beatus vir, cui  
non imputat Dominus peccatum. Semper igitur in hac infirmitate  
nostrâ adest peccatum, quod imputari poterat, de quo paulò post in-  
quit: Pro hoc orabit ad te omnis sanctus. Hic ostendit, sanctos etiam  
oportere petere remissionem peccatorum. p. 91. Praclarè inquit

Augu-

Augustinus: Omnia mandata Dei impletur, quando quicquid non fit, ignoscitur &c. Et Hieronymus contra Pelagianos: Tunc ergo justi sumus, quando nos peccatores fatemur: Et justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei constitutis misericordia &c. Sentire nos oportet, quod PROCUL à perfectione legis absimus p. 92. Si dilectio efficit perfectos, nihilopus erit propitiatore Christo p. 104. Cyprianus in Orationis Dominicæ enarratione: Ne quis sibi quasi innocens placeat & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. p. 129.

1. Ergo nemini de impletione aut servatione legis gloriari licet.
2. Ergo non singenda est èmènèa legis ipsius, aut etiam in servatione legis, quamvis èmènèa vagnoscamus à parte DEI, quod à nobis non fit, ignoscens p. 92. & legi non saufacientibus propter Christum condonans p. 125.
3. Ergo ad perfectionem legalem in hac vita non pervenimus.
4. Ergo nec quisquam supremo gradui perfectionis (utpote à quâ procul abesse perhibetur p. 92.) proximus constituitur.
5. Ergo quotquot orationem Dominicam recitant, vel ad recitandum obligantur, eo ipso se ab actuali peccato immunes non esse, profiteri tenentur.

6. Ergo Paulus (quippe mente servans legem DEI) cum nihilominus defectus suos agnosceret, de se ut renato loquitur & quid renatis, sine exceptione omnibus, eveniat, testatur. Favere tamen perfectioni legali videntur sequentia verba: Fides precedit legis impletionem p. 68. Donato Spiritu S. sequitur legis impletio p. 94. Cum hoc modo cor erigitur & vivificatur, fide concepit Spiritum Sanctum, qui renovat nos, ut legem facere possimus, ut possimus diligere Deum & verbum Dei, obedire Deo in afflictionibus, ut possimus esse casti, diligere proximum p. 122. Christus adjuvat, ut facere etiam legem possimus p. 123. Resp. Qualis impletio legis intelligatur, ipsa Apologia satis prodit, utpote in quâ legimus: Profitemur, quod necesse sit inchoari in nobis & subinde magis magis que fieri legem p. 85. Legis impletio seu obedientia erga legem est quidem justitia, cum est integra; sed in nobis est exigua & immunda p. 89. Illa inchoata legis impletio non justificat; quia tantum est accepta propter fidem p. 90. Oportet existere in nobis renovationem, per inchoatam legis impletionem p. 101. Opera nostra à perfectione legis procul absunt p. 122. Add. p. 115. Ex quibus verbis simul patet, quod rō implere legem & rō servare, quæ Novatores distinguunt, in Apologîa Aug. Conf. pro iisdem habeantur.

IN NOMINE JESU!

Thesum de Tempore,

Ex

AUGUSTANA CON-  
FESSIONE EJUSQUE  
APOLOGIA,

Et quidem Art. IV. retentis ferè ipsis

librorum Symbolicorum verbis,

excerptarum

M A N I P U L U S III.

*Quas,*  
Cum Porismatibus inde deducatis,

P R A E S I D E

S A M U E L E S C H E L G U I G I O ,

S. Theol. D. & P.P. Athenæi Rectore

& ad SS. Trinit. Pastore,

Publicæ disputatiunculæ subjicit

R E S P O N D E N S

NATHANAEL CRETLOVIUS , Gedan.

O P P O N E N T I B U S

M A R T I N O Schulz / Stolpâ. Pom.

&

J OHANNE LINDEMANNO , Sundâ. Pom.

Habebitur in Auditorio ordinario

d. XXIX. Octobris M DC XCVII.

---

G E D A N I ,

Typis JOHANN-ZACHARIÆ STOLLII.

V I R O

Admodum Reverendo, Clarissimo, Doctissimoq;

DN. GABRIELI SEHLECK/

Ecclesiastæ Ohrensi vigilantissimo,  
optimèque merito

Domino Patrono ac Fautori, omni obseruantia,  
devenerando

primitias hasce Theologicas' debito  
cultu consecrare voluit

R E S P O N D E N S.

V. **L**Ex non potest fieri, nisi prius accepto Spiritu S. p. 72. Non ita Lex docenda est, ut Evangelium de Christo obruatur p. 119. Necesse est, retineri in Ecclesiâ Christi Evangelium, hoc est, promissionem, quod gratis propter Christum remittuntur peccata. Id Evangelium penitus abolent, qui de hac fide, de qua loquimur, nihil docent. p. 82. Recurrentum est ad regulam, quod doctrina legis, sine Christo, non prodest p. 117. Toties jam dicimus, ad prædicationem Legis oportere addi Evangelium de Christo p. 118.

1. Ergo laterem lavant, qui prædicatione solius legis, homines ad pietatem perducere conantur,

2. Ergo ingrati insuper in Christum imo blasphemari sunt, qui copiosiorem Evangelii prædicationem, pro causâ impietatis in mundo regnantis vendirant.

VI. In judicio DEI & terroribus conscientia, fiducia operum nobis excutitur p. 63. Non possumus ira DEI opponere nostram dilectionem & opera nostra p. 75. In judicio DEI comperimus, fiduciam propriæ justitiae impiam & inanem esse p. 87. Opera nunquam possunt conscientiam reddere pacatam; sed tantum promissio p. 93. 133. 134. Conscientia non inveniunt pacem in operibus;  
sed

sed alia super alia in veris terroribus cumulantes, tandem desperant; quia nullum opus satis mundum inveniunt: semper accusat lex & parit iram p. 98. Impia opinio est, quod bona opera vincant terrores peccati & mortis: p. 107. Si homines ideo sentire debent, se habere Deum placatum, quia diligunt, quia legem faciunt; semper dubitare necesse est, utrum habeamus Deum placatum; quia dilectionem illam aut non sentiunt, ut fatentur Adversarii, aut certe sentiunt valde exiguam esse, & multò sapienter sentiunt se irasci iudicio DEI, qui humanam naturam multis terribilibus malis opprimit, arumnis hujus vitae, terroribus aeternae irae &c. Quando igitur acquiescat, quando erit pacata conscientia & quando diligit Deum, in hac dubitatione, in his terroribus? quid est aliud haec doctrina legis, nisi doctrina desperationis? p. 124. Haec manifesta sunt, quod non dilectione, sed fide vincamus terrores peccati & mortis; quod non possumus nostram dilectionem & impletionem legis opponere irae DEI; quia Paulus dicit: per Christum habemus accessum ad Deum per fidem. p. 127. Add. p. 96. 100.

1. Ergo Ecclesiæ illudit, quisquis solatium ex fide, quatenus efficax est, h. e. opera secum habet, conscientiis pollicetur.

2. Ergo multò magis errat, qui fidei ne quidem mentione factâ, ad opera eo fine hortatur, ut in agone extremo constituti, de bono certamine ex 2. Tim. IV.7. seq. coram Deo gloriari, ut pacatam conscientiam habere, ut Diabolum terrere & abigere, ut beatè mori possint &c.

3. Ergo nec ille audiendus, qui ejusmodi effectus, simul à fide & operibus deducit.

Objectioni, quæ afferri posset, respondetur p. 129. 130. sequentibus verbis: Quod alibi gloriatur David, de suâ justitiâ; loquitur de causâ suâ adversus persecutores verbi DEI; non loquitur de personali munditie: & rogat causam & gloriam Dei defendi: Ps. VII.5. Judica me, Domine, secundum justitiam meam & secundum innocentiam meam super me. Rursus Ps. CXXX. 3. ait: Neminem posse sustinere iudicium Dei, si observet peccata nostra. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?

VII.

VII. Illa fides, que justificat, non est tantum notitia historie; sed est assentiri promissioni Dei, in qua gratis propter Christum offertur remissio peccatorum & justificatio. Et ne quis suspicetur, tantum notitiam esse, addemus amplius: est velle & accipere oblatam promissionem remissionis peccatorum & justificationis p. 68. 69. Add. p. 125. Credere est confidere meritis Christi, quod propter ipsum certe velit nobis Deus placatus esse p. 72. Fides est, qua apprehendit misericordiam, propter verbum Dei, gratis: si quis hoc negat fidem esse, prorsus non intelligit, quid sit fides p. 88.

Ergo Fides ex partibus suis, videlicet notitiâ, assensu & fiduciâ, certò cognoscitur: Qui plura requirunt, ignorantiae meritò postulantur.

IX. Non hoc tantum docemus, quomodo fieri lex possit, sed etiam quomodo Deo placeat, si quid fit; videlicet, non quia legi satisfacimus; sed quia sumus in Christo p. 85. Add. p. 89. 113. Impia opinio est quod bona opera coram Deo propter suam bonitatem sint accepta p. 107. Add. p. 125.

Ergo opera nostra non sunt per se bona Deoque placentia; sed tantum in Christo & propter Christum.

IX. Promissio remissionis peccatorum & justificationis per Christum non habet conditionem meritorum, sed gratis offert remissionem peccatorum & justificationem, sicut Paulus ait: Si ex operibus, jam non ex gratia. Et alibi: Justitia Dei jam manifestatur sine lege: Id est gratis offertur remissio peccatorum, nec pendet reconciliatio ex nostris meritis. Quod si ex nostris meritis penderet remissio peccatorum & reconciliatio, esset ex lege, esset inutilis. Quia enim legem non facimus, sequeretur etiam, promissionem reconciliationis nunquam nobis contingere. Sic argumentatur Paulus Rom. IV. 14. Si ex lege esset hereditas, inutilis esset fides & abolita promissio. Si enim promissio requiret conditionem meritorum nostrorum ac legem, cum legem nunquam faciamus, sequeretur, promissionem inutilem esse p. 67.

Ergo foedus Evangelicum non suspenditur à conditione sanctitatis & justitiae, quamdiu vivimus, continuandæ.

IN NOMINE JESU!

Thesum de Tempore

Ex

AUGUSTANA CON-  
FESSIONE EJUSQUE  
APOLOGIA,

Et quidem Art. V. VI. VII. retentis ferè ipsis librorum

Symbolicorum verbis, excerptarum,

MANIPULUS IV.

Quas

Cum Porismatibus inde deductis,

PRÆSIDE

SAMUELE SCHELGUIGIO,

S. Theol. D. & P. P. Athenæi Rectore

& ad S. S. Trinit. Pastore,

Publicæ disputatiunculæ exponit,

RESPONDENS

JOHANNES LINDEMANNUS, Sundâ Pom.

OPPONENTIBUS

BARTHOLOMÆO HAUCK, Stargard-Borussio,

&

NATHANÆLE CRETLOVIO, Gedan.

Habebitur in Auditorio Ordinario

die XXX. Octobris M DC XCVII.

---

GEDANI,

Typis JOHANN-ZACHARIAE STOLLII.

VIRIS

Admodum Reverendis, Amplissimisq;

DN. ALBERTO POMIAN

PESAROVIO,

DN. JOH. JACOBO HOYNOVIO,

Illi ad S. S. Trinitatis; Huic ad S. Spiritus Ædes

Symmystis pro Veritate Evangelicâ vigilantissimis,  
merentissimisque,

Dominis Mæcenatibus suis ac Patronis,

Theologicum hocce Schediasma, in debitum  
obstrictissimi animi monumentum, futu-  
rumque sibi conciliandum favorem, sub-  
missè voluit, debuit consecrare

RESPONDENS.

---

X. R *Evocamus pias mentes ad considerandas promissiones: &*  
*de gratuitâ remissione peccatorum & reconciliatione, quæ*  
*fit per fidem in Christum, docemus: Postea addimus &*  
*doctrinam legis: Et hæc oportet iędorouēn, ut ait Paulus. p. 95.*

Ergo perperam agunt, qui Legi adscribentes, quæ Evan-  
gelii sunt, aut Evangelio, quæ ad Legem pertinent. manifestam  
Legis & Evangelii confusionem introducunt v. gr. cum do-  
cetur, quod non sola Lex, sed etiam Evangelium requirat san-  
ctitatem vitæ: quod non solum Evangelium, sed etiam Lex  
Christum monstrat: quod Lex nos pios, Deoque placentes  
reddat: quod contritio aliqua ex Evangelio resultet &c.

XI. *Disfida oriuntur, quando populus nimis acerbè judicat*  
*de moribus Doctorum, aut fastidit Doctores, propter quadam levia*  
*incommoda: queruntur enim deinde & aliud doctrine genus, &*  
*alii Doctores p. 104. 105.*

Ergo

Ergo mirum non est, quod infrunita licentia, quam Novatores sibi sumunt & cuivis promiscue faciunt, de Ministris Ecclesiarum pro lubitu judicandi, in horrendum Schisma, cum quo nunc, eheu! conflictamur, abiit.

*Ex ARTIC. V. De MINISTERIO ECCLESIASTICO.*

Per Verbum & Sacraenta, tanquam per instrumenta, donatur Spiritus Sanctus, qui fidem efficit, ubi & quando visum est Deo, in iis, qui audiunt Evangelium, &c. Damnamus Anabaptistas, & alios, qui sentiant, Spiritum Sanctum contingere sine verbo externo hominibus, per ipsorum preparationes & opera. p. II.

1. Ergo Spiritus S. quoad negotium salutis, nemini immediate obtingit.

2. Ergo Verbum externum, quod legitur vel auditur, ad spirituales effectus non solum objectivè & significativè, sed etiam, ut instrumentum seu medium DEI, insitâ virtute perpetuò instructum, realiter, verè & propriè loquendo, influit.

3. Ergo Enthusiasmus non solum crassior, de quo in Form: Concord. p. 678. agitur; sed etiam subtilior profligatur, nimurum quando illi, qui Deum cum Verbo, imò & per Verbum agere profitentur, non aliam actionem, nisi objectivam & significativam Verbo relinquunt, adeò ut ipsi effectus spirituales, (ex quæ ac crassiores Enthusiastæ sentiunt) propriè & immediate à Spiritu S. accersantur.

*Ex ARTIC. VI. De NOVA OBEDIENTIA.*

Ambrosius (qui tempore exhibitæ Confessionis autor esse credebatur Commentariorum in Epistolas Paulinas, Ambrosianis operibus insertorum) nobiscum inquit: *Hoc constitutum est à Deo, ut, qui credit in Christum, salvus sit, sine operibus sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.* p. II.

1. Ergo non constitutum est à Deo, ut in ipso justificationis actu, salvi fiamus cum operibus, seu per fidem efficacem. Quod verò ad Justificationis statum attinet, de eo intelliguntur verba initialia hujus Articuli: *Docent, quod fides illa debet bonos*

bonos fructus ferre, & quod oporteat bona opera, mandata a DEO, facere, propter voluntatem DEI. p. 11.

2. Ergo non audiendus est εμπαιχτης, si scribere pergit: Quid si cum Salomone profiterer; quod sapientia salvet? Sapientiam, Fidem & Charitatem oportet conjungi. Paulus inquit: nos salvari fide: Jacobus, operibus; Salomon, sapientia. Nullus horum contradicit alteri. Nam Paulus Fidem postulat, quae per charitatem efficax sit; neque rejicit charitatem, aut fidei opponit, sed externa hypocriseos opera peccaminorum concupiscentiarum. Jacobus postulat opera Charitatis, ex fide provenientia, nec excludit fidem. Salomon non postulat Sapientiam, fidei aut charitati contradicuntur &c. Et post pauca: Moralis mea Doctrina inquit, Fides, Charitas, Spes salvant, itemque Sapientia. Apage & rem tuam tibi habe, Luciane. Vid: plura in Artt IV. Th. 3.

Ex ARTIC. VII. De ECCLESIA.

Ecclesia est congregatio Sanctorum, in qua Evangelium recte docetur, & recte administrantur Sacra menta: Et ad veram unitatem Ecclesiae satis est, consentire de doctrinâ Evangelii & administratione Sacramentorum. p 11.

1. Ergo ubi hæc veræ Ecclesiæ adæquata signa præstò sunt, ibi etiam veram Ecclesiam, tanquam signatum, adesse oportet: ut proinde oleum & operum perdat, qui, cum rectè apud nos & Evangelium doceri, & Sacra menta administrari agnoscat, nihilominus ubi veram & Apostolicam Ecclesiam invenire debeat, quasi de re ignotâ sollicitus, inquirit.

2. Ergo stolidorum hominum calumniæ sunt, quando qui Ecclesiæ nostræ membra dici haberiq; volunt, nihilominus improbo ore aut calamo conqueruntur, quod apud nos neq; dies, neq; nox sit: quod in tenebris aut luce dubiâ ambulemus: quod plurimum ex Antichristianismo attraxerimus, atq; etiamnum retineamus: quod Ecclesia nostra in extremo agone versetur: quod eadem Babel sit: quod nullum Ecclesiæ signum apud nos supersit &c. Incredibiliter te Deus, Satan!

IN NOMINE JESU!

Thesum de Tempore,

Ex

AUGUSTANA CON-  
FESSIO NE EJUSQUE  
APOLOGIA,

Et quidem Art. IX. retentis ferè ipsis  
librorum Symbolicorum verbis,  
excerptarum

MANIPULUS V.

Quas,

Cum Porismatibus inde deductis,

PRAESENTE

SAMUELE SCHELGUIGIO,

S. Theol. D. & P.P. Athenæi Rectore

& ad SS. Trinit. Pastore,

Publicæ disputatiunculæ subjicit

RESPONDENS

THEODORUS JOHANNES WILLICHIIUS, Bütoviâ Pom.

OPPONENTIBUS

ZACHARIA DEZIO, Colbergensi,

&

JACOBO JOACHIMO WENDIO, Bütoviensi,  
Pomeranii.

Habebitur in Auditorio ordinario

d. IV. Novembr. M DC XCVII.

---

G E D A N I,

Typis JOHANN-ZACHARIAE STOLLII.

VIRIS

Nobilissimo, Amplissimo ac Consultissimo,

DN. JOH. CAROLO HECKER,

Nobilissimi Dicasterii in Palæopoli Assessori gravissimo,  
ut &

Spectatissimo ac Integerrimo,

DN. SAMUELI à Wacholder/

Negotiatori inclytæ hujus Civitatis florentissimo,

Dominis Patronis, Mæcenatibus ac Patronis, submissâ  
animi devotione & observantia, prosequendis,

Theologicas hasce primicias, in debitæ gratitudinis  
tesseram, ulteriorem Eorundem sibi favorem  
conciliaturus, dedicat

RESPONDENS.

Ex ARTIC. IIX. QUID SIT ECCLESIA.

I. **Q**uidquid Ecclesia propriè sit congregatio sanctorum, &  
verè credentium; tamen in hac vitâ multi hypo-  
critæ & mali admixti sunt. p. 11. Concedimus, quod  
hypocritæ & mali in hac vitâ sint admixti Ecclesie, & sint  
membra Ecclesie, secundum externam societatem signorum Ec-  
clesie, hoc est, verbi professionis, & Sacramentorum; præsertim  
si non sint excommunicati p. 144. Add. 150. Infinita multitudo  
est impiorum in ipsâ Ecclesiâ, qui opprimunt eam. Itaque ne de-  
spemus, sed sciamus, Ecclesiam tamen mansuram esse: Item, ut  
sciamus, quamvis magna multitudo sit impiorum; tamen Eccle-  
siam existere, & Christum præstare illa, quæ promisit Ecclesie, re-  
mittere peccata, exaudire, dare Sp. S. Has consolationes proponit  
nobis articulus ille in Symbolo. p. 145. 146. Christus de specie  
Ecclesie dicit, cùm ait: Simile est Regnum cœlorum sagene, aut de-  
cem virginibus: & docet, Ecclesiam teatam esse multitudine  
malorum; ne id scandalum pios offendat. p. 148.

1. Ergo inani spe lactantur, qui ante extremum diem, in  
terrâ exspectant Ecclesiam gloriosam, quæ nullam maculam aut ru-  
gam

gam, aut aliquid hujusmodi habeat; sed penitus sancta & immaculata sit (Eph. V. 27.): quippe quae in triumphante, non in militante Ecclesiâ invenientur.

2. Ergo, cùm Ecclesia articulum fidei constituat, non oculorum aut rationis judicio nimis indulgendum est, si dubium de existentiâ ejus suboriatur.

3. Ergo, non obstante quantâcunque impiorum multitudine, quandiu veritas doctrinæ sarta & tecta manet, veram quoquè Ecclesiam apud nos manere, mansuramque esse, indubie credamus.

4. Ergo scandalum, propter tolerantiam impiorum in Ecclesiâ, à nobis non datur; sed à Novaturientibus, contrà quām fieri deberet, accipitur.

H. Licet uti Sacramentis, que per malos administrantur, juxta vocem Christi: Sedent Scribe & Pharisæi in cathedrâ Moysis &c. Et Sacraenta & Verbum, propter ordinationem & mandatum Christi, sunt efficacia; etiam si per malos exhibeantur. Damnamus Donatistas & similes, qui negabant, licere uti ministerio maiorum in Ecclesiâ, & sentiebant, ministerium malorum inutile & inefficax esse p. 12. Improbamus Donatistas & Viglevistas, qui senserunt, homines peccare, accipientes Sacraenta ab indignis in Ecclesiâ. p. 150. Add. 155.

1. Ergo à veritate abhorret (1.) Quod Theologia impiorum, è verbo DEI hausta, non sit vera. (2.) Quod eadem sit æquivocè sic dicta & rectius Philosophia de rebus sacris quām Theologia, appelletur. (3.) Quod, ratione principii & originis, sit naturalis & carnalis. (4.) Quod habitualiter spectata, non aliter impiis insit, quām Diabolo.

2. Ergo Donatismus reducitur à docentibus vel scribentibus, (1.) Quod literalis Theologia impiorum, ut mortua est, ita homines, quibus proponitur, mortuos esse sinit. (2.) Quod impiorum Theologi tantum literales Christianos efficiant. (3.) Quod nemo fieri possit Minister, Ecclesiae salutaris & proficiens, nisi specialiter unctus sit ad id, Spiritu Christi, atque Chri-

Christianismo ita imbutus, ut peccatis, mundo & delitiis crucifigatur. (4.) Quod concionator impius verbum DEI, pro uti ad ædificationem auditorū requiritur, proponere nequeat.

3. Ergo eandem Hæresin reapse incurunt, quia Sacramento Eucharistiae penitus abstinere malunt, quād id ipsum ab illis accipere, quos temerario judicio carnalibus & mundanis accensent: Item, qui conventicula privata, sub eo prætextu instituunt aut frequentant, quod in conventibus publicis, se per Ministros Spiritu S. destitutos, spiritualiter ædificari posse inficiantur &c.

4. Ergo etiam Thrasones illi merito reprehenduntur, qui novæ pietatis opinione turgentes, aliis pristinâ & doctrinâ & humilitate contentis, facultatem absolvendi à peccatis denegant.

III. Monuit nos Christus, in collationibus de Ecclesiâ, ne offensi privatâ vitiis, sive sacerdotum, sive populi, schismata excitemus; sicut sceleratè fecerunt Donatistæ p. 156.

1. Ergo prætextus vitiorum, in Ecclesiâ Evangelicâ grassantium, novellæ Reformationi, quæ non potuit non in nefarium schisma degenerare, sufficientem causam haudquam dedit.

2. Ergo non sine scelere eructantur voces Novatorum, de egredi suo ex Babel i. e. ut ipsi intelligunt, ex Ecclesiâ Evangelicâ; de intimitiore fraternitate suorum, qui videlicet funibus sectariis colligantur; de communione sanctorum, quasi postliminiò ab iis restitutâ; de idolis Baalitarum, pro quibus venditant Suggestum, Altare & Baptisterium nostrum &c.

3. Ergo teneritudo conscientiæ perperam obtenditur, in excusandis iis, qui usum Eucharistiae, imo omnium sacrorum, apud nos ex eo detestantur, quod tot impii piis mixti confluent; nisi Anabaptistas, aliosque Fanaticos, similibus excusatiunculis singularitatis studium palliantes approbare velimus.

4. Ergo præ Pensylvaniâ Anticyræ consultius petitæ fuissent ab iis, qui, cum in Europâ consilia novaturientia fatis feliciter successura esse diffiderent, in Americam usque excurrerunt & Quakeris sub finem anni M DC XCVI. calamo Francisci Danielisi Pastorii, literas pacificas ad Pietistas, in fronte Epistolæ sic dictos, in Germaniâ exarandi, suppeditarunt.

IN NOMINE JESU!

Thesum de Tempore

Ex

AUGUSTANA CON-  
FESSIONE EJUSQUE  
APOLOGIA,

Et quidem Art. IX. X. XI. retentis ferè ipsis librorum

Symbolicorum verbis, excerptarum,

MANIPULUS VI.

Quas

Cum Porismatibus inde deductis,

PRÆSIDE

SAMUELE SCHELGUIGIO,

S. Theol. D. & P. P. Athenæi Rectore

& ad S. S. Trinit. Pastore,

Publicæ disputatiunculæ exponit,

RESPONDENS

JOHANN. TIMOTHEUS FEREST, Wittebergā Sax.

OPPONENTIBUS

ANDREA CASPARO Roth/ Falkenburgo Neomarchico,

&

IMANUELE Kühn/ Colbergā-Pomerano.

Habebitur in Auditorio Ordinario

die V. Novembr. M DC XCVII.

---

G E D A N I,

Typis JOHANN-ZACHARIÆ STOLLII.

VIRIS  
Plurimum Reverendo & Amplissimo,  
**DN. JOHANNI FALKIO,**  
Ad Edem D. Catharinæ Symmystæ vigilantissimo,  
nec non  
Consultissimo Spectatissimo,  
**DN. CHRISTIANO SCHLÜTERO,**  
Officii Præ. Consularis super Iusulam Stublaviensem  
Notario solertissimo,  
Dominis Patronis ac Fautoribus honoratisimis,  
Hoc quicquid est speciminis Theologici, cum ar-  
dentissimo omnigenæ prosperitatis voto, dica-  
tum offert

R E S P O N D E N S.

*Ex ARTIC. IX. De BAPTISMO.*

I. **P**er Baptismum oblati DEO, recipiuntur in gratiam DEI.  
p. 12. Baptismus est necessarius & efficax ad salutem &c.  
Salus enim cum Baptismo offertur. p. 156.

Ergo, quandoquidem dona DEI sunt ἀμεταμέλητα Rom.  
XI. 29. fœdusq; gratiæ cum baptisatis pactum, ex parte DEI  
nunquam rescinditur, sequitur baptisatos, tametsi post Baptis-  
mum peccatis regnantibus polluantur & à parte sui fœdus il-  
lud violent, non tamen rectè pro iregenitis & extra fœdus  
DEI constitutis haberi.

II. Regnum Christi tantum cum Verbo (externo) & Sacra-  
mentis existit p. 156.

Ergo impiè agunt, qui cœtus Ecclesiasticos, in quibus re-  
ctè Verbum prædicatur & Sacramenta administrantur, negli-  
gunt ac susque deque habent; de ipso Verbi & Sacramento-  
rum usu contemnunt sentiunt ac loquuntur; aut etiam hæc  
omnia, nempe Verbum, Sacramenta, imo totam Ecclesiam, se-  
intus & in corde (non aliter ac lumbricos in intestinis) ha-  
bere jactitant.

*Ex*

*Ex ARTIC. X. De COENA DOMINI.*

I. De cœnâ Domini docemus, quod corpus & sanguis Christi verè ad sint, & distribuantur vescientibus in Cœnâ Domini, & improbantur secus docentes. p. 12. Confitemur quod in cœnâ Domini verè & substantialiter ad sint corpus & sanguis Christi, & verè exheatur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino, his, qui Sacramentum accipiunt. Hanc sententiam constanter defendimus, re diligenter inquisitâ & agitatâ &c. p. 157. Cum Cyrillo profitemur: Audi Paulum dicentem: quod omnes unum corpus sumus in Christo, quia etsi multi sumus, unum tamen in eo sumus: Omnes enim uno pane participamus. An fortasse putas, ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? que cum in nobis sit, nonne corporaliter quoq; facit, communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? &c. p. 158.

(1) Ergo qui secus docent, salvâ Augustanâ Confessione, approbari aut excusari nequeunt.

(2) Ergo finis Cœnæ institutæ adæquatus non est, ostendere nobis charitatem Christi erga genus humanum, quæ ex passione eluxit: Tametsi ergo hic finis impetrari possit, si panem & vinum pro signis merè significantibus corporis & sanguinis habeamus; ad alios tamen fines impetrandos, præser- tim ad eum, qui in Thesi exprimitur, conceptus iste non per- ducit.

II. Sequeretur, panem non esse participationem corporis, sed tantum Spiritus Christi, si in cœnâ non adesset verè corpus Domini. p. 157.

Ergo ab analogiâ fidei alienum est, responsum DEI illius putatii, quod per virginem dementatam, ante annos aliquot, Lunæburgi edebatur; videlicet nos cum pane & vino in cœnâ accipere Spiritum corporis & sanguinis Christi.

*Ex ARTIC. XI. De CONFESSiONE.*

I. De Confessione docemus, quod absolutio privata in Ecclesiis retinenda sit p. 12. Et nos Confessionem retinemus, præcipue pro-

propter absolutionem, quæ est verbum DEI, quod singulis autoritate  
divinâ pronunciat potestas clavium. Quare impium esset, ex Ec-  
clesiâ privatam absolutionem tollere. Neque quid sit remissio pec-  
catorum, aut potestas clavium intelligunt, si qui privatam absolu-  
tionem aspernantur p. 181.

Ergo Augustanæ Confessionis inimici sunt, qui apertè, aut  
etiam per cuniculos, Confessionem privatam, hactenus in Ec-  
clesiâ nostrâ retentam, arrodunt, aut quomodo cunque adori-  
untur. Per cuniculos rem hanc agunt, qui privatam Confes-  
sionem laudant, sed in exercitio ejus, prouti apud nos, à tem-  
poribus usq; Lutheri, in usu fuit, atque impræsentiarum descri-  
bitur, plurima desiderant, usque adeò ut afferere non verean-  
tur. (1) Confessionem hactenus usitatam plus detrimenti,  
quàm commodi afferre (2) Nobis abusum potius, quàm usum  
Confessionis, imo non nisi abusum esse relictum. (3) Eccle-  
siam nostram meritò, propter ea, quæ hucusque frequentata  
sunt, rubore suffundi. &c. Apertè autem Confessioni priva-  
tæ adversantur, qui eandem propriâ autoritate privatoque au-  
su abolent. Notissima sunt fanatici Novatoris verba, qui se-  
dem Confessioni audiendæ dicatam *Sathanæ thronum* & abys-  
sum infernalem appellavit: Ex quo equidem *impietatis* & *igno-  
rantiæ*, in extremâ Theseos nunc propositæ particulâ, manife-  
stè reus peragitur.

II. In causâ religionis, cum de arduis negotiis pronuncian-  
dum est, judices adhibendi sunt, quorum doctrina & fides probata  
est p. 187.

Ergo judicium privatum, quod ad omnes Christianos spe-  
ctare agnoscamus, cum judicio publico, de quo nunc agitur,  
confundunt, qui subortis de fide litibus, res ad eos, qui soli-  
dâ controversiarum notitiâ imbuti non sunt, devolvunt.

IN NOMINE JESU!  
Thesum de Tempore,  
Ex  
**AUGUSTANA CON-  
FESSIONE EJUSQUE  
APOLOGIA,**

Et quidem Art. XI. XII. retentis ferè ipsis  
librorum Symbolicorum verbis,  
excerptarum

**M A N I P U L U S VII.**

*Quas,*  
Cum Porismatibus inde deductis,

*P RÆS I D E*

**SAMUELE SCHELGUIGIO,**

S. Theol. D. & P.P. Athenæi Rectore

& ad SS. Trinit. Pastore,

Publicæ disputationculæ subjicit

*R E S P O N D E N S*

**IMMANUEL Kühn/ Colbergâ-Pomeranus,**

*O P P O N E N T I B U S*

**JOHANNE GEORGIO Knoth/**

*N O B I L I S S I M I D I C A S T E R I I A l u m n o ,*

*&*

**GODOFREDO NEANDRO, Gedanensibus.**

Habebitur in Auditorio ordinario

*d. XXVII. Novembr. M DC XC VII.*

---

*G E D A N I ,*

Typis JOHANN-ZACHARIÆ STOLLII.

VIRIS  
MAXIME PLURIMUMQ; REVERENDIS, EXCELLENTISSIMO,  
CLARISSIMIS,  
**DN. JOHANNI Gottlieb MOLLERO,**  
S. S. Theol. D. in Alma Rosarum Spectabili Facultatis Phi-  
losophicæ h. t. DECANO, ibidemque Græcæ Lingvæ, & in Athe-  
næ Gedanensi Philos. P.P. ac BIBLIOTHECARIO;  
Itemque  
**DN. DANIELI CRUGERO,**  
Ad S. Georg. & Nicol. Colbergæ Pomeranorum Pastori  
vigilantissimo,  
**DOMINIS PATRONIS & EVERGETIS,**  
submiso animi cultu etatem colendis,  
Hoc, quicquid est, & industria & gratæ mentis spe-  
cimen, adjecto omnigenæ felicitatis voto, consecro  
RESPONDENS.

III. **N**unc postrema sunt tempora, in quibus Christus predixit,  
plurimum periculi fore Religioni p. 107.  
(1) Ergo apud eos, qui Augustanæ Confessioni ad-  
stipulantur, spes meliorum temporum, pro totâ Ecclesiâ in hoc  
seculo exspectandorum, decollat.  
(2) Ergo vaticinium Christi Luc. XVIII. 8. à Sociis Au-  
gustanæ Confessionis, de paucitate fidelium, tempore adven-  
tus Christi superstitionem, rectè accipitur. Nam hoc quoque  
dictum, inter prædictiones Christi, de quibus nunc agitur, ju-  
re meritòque referimus.

IV. Scriptura ubique clamat, quod multum absumus ab illi  
perfectione, quam lex requirit.

Ergo ab Augustanâ Confessione recedunt Novatorum  
hypotheses (1) de impletione legis (2) de perfectione legali  
(3) de appropinquatione ad supremum perfectionis gradum  
&c. Vid. ad Artic. IV. Thes. 4.

V. Ipsa regeneratio fit perpetua mortificatione vetustatis p. 192.  
(1) Ergo qui regeneratur, non consequitur novam &  
qui-

quidem divinam naturam: Hæc enim omnem vetustam simul aborberet.

(2) Ergo potest quis esse regenitus, qui in fundo seu intimo cordis & anime, nondum est mutatus, seu cuius fundum cordis regeneratio nondum penetravit.

(3) Ergo in regenito, quamdiu vivit, exterior homo nondum putrefactus est, aut caro & sanguis ita crucifixi, ut concupiscentias suas amplius exercere nequeant.

(4) Ergo nec regenitus, in hac vitâ, eò pervenit, ut sicut Deus est sanctus & justus, sic pariter ille UNICE in MERA sanctitate & justitiâ delectetur; nec ullâ ratione divitias, honores & commodum suum quærat &c.

VI. Afflictiones non semper sunt pœnae pro certis factis præteritis, sed sunt opera DEI, destinata ad nostram utilitatem, & ut potentia DEI sit conspicitor in infirmitate nostrâ. p. 195.

Ergo graviter peccant, qui in judicia DEI temerè se ingarentes, si quid finistri iis, à quibus verbô veritatis compescuntur, accidat, id ipsum pœnæ loco inmitti, sine fronte clamant.

EX ARTIC. XII. de POENITENTIA.

I. De Pœnitentiâ docemus, quod lapsis post baptismum contingere possit remissio peccatorum, QUOCUNQUE TEMPORE ( & QUOTIESCUNQUE p. 161.) convertuntar. Et quod Ecclesia talibus redeuntibus ad Pœnitentiam, absolutionem impertire debeat. p. 12. Damnantur Novatiani, qui nolebant absolvere lapsos post Baptismum, redeuentes ad Pœnitentiam. p. 13.

(1) Ergo periculosè statuitur (1) quod mutatio spirituallis Pœnitentium, perquam difficilis fit. (2) quod paucis, aut prouti nonnemo haud obscurè indicat, nulli in ultimâ agone contingat. (3). quod nequeat frequenter iterari. (4) quod negotium istud alterâ vice difficultius procedat, quam primâ, semperque difficultas, prorogatis vicibus, crescat.

(2) Ergo periculosius adhuc est, definire, quot vicibus peccator relapsus à Deo recipiatur, eidemque tertiam, vel etiam alterâ vice ad vomitum redeungi, gratiae fores præcludere

(3) Er-

(3) Ergò periculosisimum est, scribere: *Adulti* (Tironibus & proficientibus oppositi,) difficulter deficiunt. Et si contingat eos deficere, impossibile est ad Pœnitentiam renovari. Tirones facile, Adolescentes agè, Adulti planè non renovantur. Quid est Novatianismus revocare, si hoc non est?

II. Constat Pœnitentia PROPRIA his duabus partibus: altera est *Contritio*, seu terrores incusi conscientie, agnito peccato: altera est *Fides*, que concipitur ex Evangelio, seu *absolutione*, & credit, propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam & ex terroribus liberat, p. 12. Add. p. 168. 169. 171. Cum verbum, quod arguit peccata, solum traditur, doctrina Legis est, non Evangelii. Apol. p. 166. Add. p. 169.

(1) Ergò Pœnitentia non est duplex, nempe alia legalis, alia evangelica; sed numero non nisi unica: quamvis ad illam unicam Pœnitentiam & Lex & Evangelium concurrent.

(2) Ergò Pœnitentiam imperfectam prædicant, qui non nisi Legem prædicant.

(3) Ergò Contritio tantum ex Lege, nequaquam verò ex Evangelio resultat.

(4) Ergò ratio seu qualitas Contritionis non mutatur per Evangelium; sed Evangelium, per solam legem jam contritis, succurrit, juxta illud, quod in Apol. legitur: *Quid aliud nisi desperationem docent, qui in his terroribus tantum ostendunt Legem?* Nos igitur addimus alteram partem Pœnitentiae, de fide in Christum, quod in his terroribus debeat conscientiis proponi Evangelium de Christo, in quo promittitur gratis remissio peccatorum per Christum. Debent igitur credere, quod propter Christum gratis remittantur ipsis peccata. *Hæc fides erigit, sustentat, & vivificat contritos.* p. 166.

(5) Ergò plures Pœnitentiæ propriè sic dictæ partes finiendæ non sunt: quamvis impropiè locuturis *Apologia* concedat, addere tertiam partem, videlicet dignos Pœnitentie fructus pag. 165.

IN NOMINE JESU!  
Thesum de Tempore  
Ex  
**AUGUSTANA CONFESSIO**  
NE EJUSQUE  
APOLOGIA,

Et quidem Art. XII. XIII. XIV. retentis ferè ipsis libro-  
rum Symbolicorum verbis, excerptarum,

**MANIPULUS IX.**

Quas  
Cum Porismatibus inde deductis,

*PRÆSIDE*

**SAMUELE SCHELGUIGIO,**

S. Theol. D. & P. P. Athenæi Rectore

& ad S. S. Trinit. Pastore,

Publicæ disputatiunculæ exponit,

*RESPONDENS*

**JOACHIMUS ERNESTUS HÖRLITZ**, Gedanensis,

*OPPONENTIBUS*

IMMANUELE Rühn/ Colbergæ-Pomerano,

&

GODOFREDO NEANDRO, Gedanensi.

Habebitur in Auditorio Ordinario

die IV. Decembr. M DC XCVII.

---

*GEDANI,*

Typis JOHANN-ZACHARIAE STOLLIL

V I R O

MAXIME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO  
arque CLARISSIMO,

DN. JOHANNI Gottlieb MOLLERO,

S.S. Theologiz Doctori, in Universitate Rostochiensi Facul-  
tatis Philosophicæ h. t. DECANO Spectabili, ibidemque Græca Lin-  
gvæ, & in Athenæo Gedanensi Philosophia PROFESSORI P.

ac Reip. BIBLIOTHECARIO;

DOMINO PATRONO ac MÆCENATI, ob in-  
numera beneficia, humillimâ mentis observantiâ nun-  
quam non quam maxime venerando,

Primos hosce conatus theologicos, ulterioris suū  
studiorumque suorum commendationis ergò,  
submissò consecrat animo.

R E S P O N D E N S .

III. **F**ructus Pœnitentie est, mutatione tertiis vitæ ac morum in me-  
lior. p. 165.

Ergò ineptè docetur, quod mortificatio carnis sit pre-  
paratio cordis ad contritionem pœnitentialem: item quod profun-  
dum fundamentum in mortificatione carnis, in abnegatione sui ipsius,  
&c. poni oporteat, antequam de Pœnitentiâ cogitare liceat.  
Cum enim mortificatio carnis, abnegatio sui ipsius, &c. ad  
mutationem vitæ, ceu fructum Pœnitentiæ pertineat, (fatente  
in terminis A pologia nostrâ, pag. 188.) quomodo Pœnitenti-  
am, aut contritionem pœnitentialem, ut præparatio, præce-  
deret?

IV. Non prius dilectio adest, quam sit facta fide reconciliatio.  
Lex enim non sit sine Christo pag. 167. Fidem sequitur dilectio.  
Ibid. Prius oportet nos fide accipere remissionem peccatorum, quam  
Legem facimus; etsi, ut suprà dictum est, fidem dilectio sequitur;  
quia renati Spiritum Sanctum accipiunt, ideo legem facere incipi-  
unt. p. 177. Add. p. 178.

Ergò non justificamur per fidem efficacem, h. e. in ipso  
Justificationis actu, opera secum habentem. Alioqui enim  
Dile-

Dilectio simul esset cum fide justificante. 2. Diligeremus, quando fit reconciliatio. 3. Tum jam legem faceremus, cum fide accipimus remissionem peccatorum. Vid. plura Art. IV. Th. 3.

V. Voci absalentis, non secus ac voci de cœlō sonanti credendum est p. 167.

(1) Ergo Confessio privata, si non ob aliam causam, vel propter hanc solam, quod in absolutione Deus per Ministrum cum confitente loquitur, retinenda foret. Vid. Art. 11. Th. 1. & in Apolog. p. 181.

(2) Ergo vocem de cœlo sonantem vilipendit, qui cum Confessione privatâ, ipsam Absolutionem in Ecclesiâ nostrâ usitatam, Idolis accenseret aut quomodo cunctam remotam cupit.

Ex ARTIC. XIII. de USU SACRAMENTORUM.

I. Sacramenta instituta sunt, non modo, ut sint nota professio-  
nis inter homines; sed magis, ut sint signa & testimonia voluntatis  
DEI erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui  
utuntur, proposita. p. 13.

(1) Ergo qui de Sacramentis Ecclesiæ nostræ participare dedignantur, ex eō ipso, quod à nobis schismate facto extierint, dignoscuntur.

(2) Ergo maximò suò damnō errant, qui Eucharistiam aspernantur, quod eandem ad rudimenta Ecclesiæ solum pertinere, & adultis in fide, non amplius necessariæ esse, arbitrantur.

II. Sacerdotes apud nos vocantur, non ad nulla sacrificia, velut in Lege, pro populo facienda, ut per ea mereantur populo remissionem peccatorum; sed vocantur ad docendum Evangelium & Sacra-  
menta porrigenda populo. Nec habemus nos aliud sacerdotium, simile Levitico, sicut satis docet Epistola ad Ebraeos. p. 201.

Ergo Ministros Ecclesiæ nostræ rectè vocamus Sacerdo-  
tes: non quidem à sacrificio strictè sic dicto, quod offerant;  
sed à sacris, quæ juxta vocationem, nomine Ecclesiæ peragunt.  
Conf. p. 204. ubi expressè nostrorum Sacerdotum mentio fit.

III. Prodest, quantum fieri potest, ornare ministerium verbi,  
omni genere laudis, adversus fanaticos homines, qui somniant, Spi-  
ritum:

ritum Sanctum dari, non per verbum, sed propter suas quasdam præparations, si sedeant otiosi, tacite, in locis obscuris, expectantes illuminationem; quemadmodum olim in Graecia docebant, & nunc docent Anabaptistæ. p. 202.

(1) Ergò plus, quām verbis exprimi queat, nocent, qui per nimiam exaltationem Sacerdotii spiritualis, deprimunt Sacerdotium ecclesiasticum: præsertim si iidem jactent, quemlibet Christianum, etiam extra necessitatis casum, eandem habere potestatem, quam Deus Ministro Ecclesiæ publico concessit.

(2) Ergò Ecclesiastico ac Anabaptistico Spiritu afflantur, qui per integros dies in lectis decumbentes, aut aliò modò se hominum consortio, librorumque lectioni subtrahentes, regenerationem ac illuminationem expectant.

*Ex ARTIC. XIV. De ORDINE ECCLESIASTICO.*

I. De ordine Ecclesiastico docent, quod nemo debeat in Ecclesiâ publicè docere, aut Sacra menta administrare, nisi ritè vocatus p. 13.

(1) Ergò falcem in alienam messem, ut ἀλογοστόνος, mittunt, qui sine vocatione speciali, conventicula, sacrorum causâ, instituunt, confessiones audiunt, imò nec ab Eucharistiâ dispensandâ abstinent.

(2) Ergò licentia libros de rebus theologicis, præsertim absque censurâ & approbatione Ministerii ordinarii, edendi, quam nunc Tros Rutulusque, ne foemellis quidem exceptis, quas tamen Spiritus Sanctus in Ecclesiâ tacere jubet, 1. Cor. XIV. 34. sibi impudenter arrogant, meritò reprehenditur.

II. Ecclesiam esse scimus apud hos, qui Verbum Dei rectè docent & rectè administrant Sacra menta.

Ergò veritas Ecclesiæ nostræ, à Novatoribus, qui pro membris illius sese etiamnum venditant, præsertim si Verbum & Sacra menta apud nos rectè se habere agnoscant, sine causâ in dubium vocatur. Vid. Artic. VII, Th. unic.

IN NOMINE JESU!  
Thegium de Tempore,  
Ex  
**AUGUSTANA CON-  
FESSIONE EJUSQUE  
APOLOGIA,**

Et quidem Art. XV, retentis fere ipsis  
librorum Symbolicorum verbis,  
excerptarum

**MANIPULUS IX.**

*Quas,*  
Cum Porismatibus inde deductis,  
*PRAESIDE*

**SAMUELE SCHELGUIGIO,**

S. Theol. D. & P.P. Athenæi Rectore

& ad SS. Trinit. Pastore,  
Publicæ disputatiunculæ subjicit

**RESPONDENS**

**MARTINUS Schulz/ Stolp. Pom.**

**OPPONENTIBUS**

**ANDREA CASPARO ROTHIO, Falcob. March.**

&  
**NATHANAELE CRETLOVIO, Gedan.**  
Habebitur in Auditorio ordinario  
*d. XI. Decembr. M DC XCVII.*

---

**G E D A N I,**

Typis JOHANN-ZACHARIAE STOLLII.

VIRIS  
Plurimū Reverendis, Clarissimis, Doctissimisque,  
DN. JOHANNI FRIDERICO SI-  
MONIS,

DN. MICHAELI Saeman /

Ad ædem Palæopolitanam S. Petri, Stolpæ Pome-  
ranorum, Symmystis vigilantissimis, & de Ecclesiâ  
Christi optimè meritis,

Dominis Patronis ac Fautoribus, omni ob-  
servantia devenerandis,

Primitias hasce Theologicas, in qualemque gra-  
tæ mentis argumentum & ulteriore sui suo-  
rumque studiorum commendationem, cum  
sempiternæ felicitatis voto, humillimè con-  
secrat

RESPONDENS.

Ex ARTIC. XV. de RITIBUS ECCLESIASTICIS.

I. DE Ritibus Ecclesiasticis docemus, quod ritus illi servandi  
sint, qui sine peccato servari possunt, & prosunt ad tran-  
quillitatem & bonum ordinem in Ecclesiâ; sicut certe fe-  
rie, festi & similia. p. 13. Traditiones veteres, factas in Eccle-  
siâ, utilitatis & tranquillitatis causâ, libenter servamus, easq; in-  
terpretamur ὡς τὸ ἐνΦημότερον, exclusâ opinione, que sentit,  
quod justificant. p. 212. Ne sine probabili causâ mutetur ali-  
quid in usitatis ritibus, sed propter alendam concordiam, serven-  
tur veteres mores, qui sine peccato, aut sine magnâ incommodo  
servari possunt. p. 214.

Ergo, quamdiu precibus, lacrymis, remonstrationibus,  
aliisque licitis quibuscumque modis, declinari potest, non  
condescendum in religione dissidentibus, si feriarum,  
festorum & similium rituum abrogationem injungant. Qui  
verò

verò ex nostris, suō etiam consiliō, aut saltem conniventia, libertati Ecclesiæ insidiantibus pollicem premunt, næ illi Deo proditæ bonæ causæ rationem aliquando reddere tenebuntur.

II. Postquam sapientia ac justitiae species in jejuniis, similibusq; exercitiis corporis fefellit homines, sequuntur infinita incommoda: Obscuratur Evangelium de justitia fidei in Christum, & succedit vana fiducia talium operum. Deinde obscurantur precepta Dei, cum hec opera arrogent sibi titulum perfectæ ac spiritualis vita, & longè preferuntur operibus præceptorum Dei; ut operibus sue cuiusq; vocationis, administrationi œconomiae vita conjugali, educationi liberorum. Hæc præ illis ceremoniis judicantur esse profana, ita, ut cum quadam dubitatione conscientia, à multis exerceantur. p. 210.

Ergò nihil boni & recti in Ecclesiam introducunt, qui immodicis præconiis exercitia quædam corporis à Deo nulli præcepta ornant, operibusq; præceptis exæquant, aut etiam preferunt, atque libimet ipsis, tanquam spiritualibus, præ aliis in libertate persistentibus, ceu carnalibus, plaudunt. Huc spectat affectata abstinentia à choreis, spectaculis, conviviis, joco, risu, novellarum lectione, deambulationibus recreationis causâ susceptis &c Interim illa quoque memori animo consideranda sunt, quæ p. 214. in Apologiâ sequuntur: *Usum libertatis in his rebus, ita moderandum esse docemus, ne imperiti offendantur, & propter abusum libertatis, fiant iniquiores vera doctrina Evangelii.*

III. Precipuus cultus Dei est docere Evangelium p. 212. In nostris Ecclesiis omnes conciones in his locis consumuntur: de pœnitentiâ; de timore Dei; de fide in CHRISTUM; de justitia fidei; de consolatione conscientiarum per fidem; de exercitiis fidei; de oratione, qualis esse debeat, & quod certò statuendum sit, quod sit efficax, quod exaudiatur; de cruce; de dignitate magistratum & omnium civilium ordinationum; de discrimine regni Christi, seu regni spiritualis, & politicarum rerum; de coniugio; de educatione

catione & institutione puerorum; de castitate, de omnibus officiis charitatis. p. 213.

(1) Ergò non sola Lex in concionibus proponenda est, sed vel maximè etiam Evangelium.

(2) Ergò Lucumonis illius, qui ante annos aliquot, in locum Concionum hactenus apud nos usitatarum, nudam Scripturæ prælectionem substituere moliebatur, conatus meritò exibilantur & exploduntur.

IV. De mortificatione carnis, & disciplinâ corporis ita docemus: quòd vera & non simulata mortificatio fiat per crucem & afflictiones, quibus DEUS exercet nos. In his obediendum est voluntati Dei, sicut ait Paulus: Exhibete corpora vestra hostiā. &c. Rom. XII.1. Et hac sunt spiritualia exercitia timoris & fidei. Verùm prater hanc mortificationem, qua sit per crucem, est & voluntarium quoddam exercitii genus necessarium, de quò Christus ait: Cave, ne corda vestra graventur crapulā. Et Paulus: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo. &c. Et hac exercitia suscipienda sunt, non quòd sint cultus justificantes; sed ut coercent carnē, ne saturitas obruat nos, & reddat securos & otiosos, quà ex re sit, ut affectibus carnis indulgeant, & obtemperent homines. Hac diligentia debet esse perpetua, que habet perpetuum mandatum DEI. Et illa præscripta forma certorum ciborum ac temporum, nihil facit ad coercendam carnem. p. 213. 214: Add. ex Part. 2. Art. 5. p. 31.

Ergò suspectus meritò est, ne quid perversi machinetur, qui præter hanc mortificationem carnis & disciplinam corporis, adhuc aliam disciplinam & mortificationem, quam externam vocat, & titillationi carnis mitigandæ cum primis idoneam esse, atque exemplo veterum Christianorum (fortasse in monasteriis, aut solitudinibus) irrogari debere censem, tanquam ad profectus in Christianismo faciendos conducentem, inculcat: à quà sententiâ tantò magis Ecclesiæ metuimus, quoniam ibidem in Pontificiis non ipsæ flagellationes similesq; castigations aliæ, pridem rejectæ; sed tantum excessus earum reprehenduntur.

IN NOMINE JESU!  
Thesum de Tempore  
Ex  
**AUGUSTANA CON-  
FESSIONE EJUSQUE  
APOLOGIA,**

Et quidem Art. XVI. XVII. XIIIX. retentis ferè ipsis li-  
brorum Symbolicorum verbis, excerptarum,

**MANIPULUS X.**

Quas  
Cum Porismatibus inde deductis,

*PRÆSIDE*

**SAMUELE SCHELGUIGIO,**

S. Theol. D. & P. P. Athenæi Rectore  
& ad S. S. Trinit. Pastore,

Publicæ disputatiunculæ exponit,  
RESPONDENS

**JACOBUS ZYTZAU**, Pentzlinensis Mecklenb.

OPPONENTIBUS  
**BARTHOLOMÆO HAUCKIO**, Starg. Borusso.  
&

**CHRISTOPHORO BRAUERO**, Rügenwaldiæ Pom.  
Habebitur in Auditorio Ordinario  
die XV. Januarii. M DC XCVII.

---

**G E D A N I,**  
Typis JOHANN-ZACHARIÆ STOLLII.

VIRIS

*Admodum Reverendo, Amplissimo, nec non Doctissimo,*  
**DN. MICHAELI KEMPINIO,**

*Ad Æd; D. Barthol. Symmystæ meritissimo,  
ut &*

*Nobilissimo ac Fortissimo,*

**DN. CHRISTIANO LEHMANNO,**

*Vigiliarum Præfecto, hujus Civitatis vigilantissimo,  
DOMINIS PATRONIS ac FAUTORIBUS,*

*In ulteriore studiorum suorum commendationem,  
cum ardentissimo omnigenæ prosperitatis Voto,  
exercitationem hancce Theologicam, debitâ  
mentis observantia, consecrat*

**R E S P O N D E N S.**

*Ex ARTIC. XVI. De REBUS CIVILIBUS.*

**D**e rebus civilibus docemus, quod legitimæ ordinationes civiles  
sunt bona opera DEI: quod Christianis liceat gerere magistra-  
tus, exercere judicia, judicare res ex Imperatoriis, & aliis  
presentibus legibus, supplicia jure constituere, jure bellare, militare,  
lege contrabere, tenere proprium, jusjurandum postulantibus ma-  
gistratibus dare, ducere uxorem, nubere. Damnamus Anaba-  
ptistas, qui interdicunt hæc civilia officia Christianis. p. 14. &  
215. Denique quod legitimæ ordinationes civiles, sunt bone crea-  
ture DEI, & ordinationes divinae, quibus tutò Christianus uti po-  
test. p. 215. Evangelium tradit justitiam aeternam cordis; in-  
terim non dissipat Politiam aut Oeconomiam, sed maximè postu-  
lat conservare, tanquam ordinationes DEI, & talibus ordinationi-  
bus exercere charitatem. p. 14. 215. De his rebus, quam male  
judicaverint multi Scriptores, constat; quia in hoc errore fuerunt,  
Evangelium externam quandam, novam & monasticam politiam  
esse, nec viderunt, Evangelium cordibus afferre justitiam aeternam,  
feris autem probare statum civilem. Vanissimum & hoc est quod  
fit

ILLUD RERUM A. M. A. H. O. C. V. I.

fit perfectio Christiana, non tenere proprium. &c. p. 216. Sunt infinita disputationes de contractibus, de quibus nunquam satisfieri bonis conscientius potest, nisi sciant hanc regulam: quod Christianis liceat uti civilibus ordinationibus ac legibus. Hac regula tuetur conscientias, cum docent, catenam lictos esse contractus coram DEO, quatenus eos magistratus seu leges approbant. p. 217.

Ergo fatuus (ut Apologia loquitur, p. 217.) opinionibus indulgent, qui ut Ecclesiæ emendationem (si Diis placet) pro virili promoteant, clam palamve, directè aut indirectè, ineptias Anabaptisticas Monasticasque reducere student. Id quod ha-  
cenus non obscurè fit, quando vel prohibetur, vel ceu illicium dissimilatur. (1.) jure bellare, (2.) iusjurandum postulantibus magistratibus dare, (3.) jus suum coram judicio prosequi, (4.) In ecclesiastico officio uxorem ducere, (5.) propriū tenere. &c. Quod ad ultimum attrinet, ut alia fileamus, quisquis non prorsus obesæ naris est, facile subolfaciet, quod tendant illa: Universalis defectus plenariae communionis omnium bonorum indicat, quod nullum exemplum perfectæ amicitiae exhibere queamus: Item: Avarus quietem suam per proprietariam possessionem pecuniae, aliarumque rerum impetrare conatur. Proprietas ergo anima & vita avaritia &c. Quid verò ad hæc Apologia nostra? Communio Platonica (qualis ut ex antecedentibus constat, apud Monachos & Anabaptistas obtinet) non habet mandatum DEI. p. 217. & paulò ante: Scriptura non precipit, ut res sint communes, sed lex decalogi, cum inquit: Non furtum facies: dominia distinguit, & suum quemque tenere jubet. p. 216.

Ex ARTIC. XVII. De CHRISTI REDITU AD JUDICIUM.

Christus impios condemnatarus est, ut cum Diabolo sine fine crucientur. p. 217. Damnamus Anabaptistas, qui sentiunt, hominibus damnatis ac Diaboli finem pœnarum futurum esse. p. 14.

Ergo nec venia est concedenda Novatori cuidam, qui eodem, quo Anabaptistæ olim Spiritu agitatus, hoc ipso anno, damnatam hanc doctrinam propugnare audebat.

II. D4-

II. *Damnamus illos, qui spargunt Judaicas opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum, pri regnum mundi occupaturi sunt, ubique oppressis impiis p. 14.*

Ergo procul hinc, procul ab Ecclesiâ nostrâ arceantur Chiliaſtæ moderni, qui ante resurrectionem universalem (1.) piis regnum aliquod novum pollicentur (2) quod ab illis occupandum sit (3.) cum oppressione impiorum: (4.) quæ opinio, collatis præsertim fundamentis, quibus superstruitur, usque ad eadē Judaica est, ut Judæi Amstelodamenses, non neminem in eodem luto cum Novatoribus nostris hærentem, tanquam domesticū fidei, ad circumcisionem suscipiendam invitarent. Epitome Judaicarum literarum, à Dn. D. Georgio Henr. Hæberlino, Prof Theol. Tübingensi, inserta est eruditæ ipsius disputationi, quam Anno M DC XXCIIX, habuit, de Chiliasmō hodierno, fidei Christianæ ruinā Th. 5. sq.

*Ex ARTIC. XIIIX. De LIBEROARBITRIO.*

I. *Opera primæ tabule non potest hominum cor efficere, sine spiritu Sancto, sicut ait Paulus: Animalis homo, hoc est, homo tantum naturalibus viribus utens, non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI. (1. Cor. II. 14.) p. 219. Ex l. 3. Hypognosticon, esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum in iis, quæ ad DEum pertinent, sine DEO aut inchoare aut certè peragerer, sed tantum in operibus vita præsentis. Et post pauca: Damnamus Pelagianos, & alios, qui docent, quod sine Spiritu Sancto, solis naturæ viribus possumus præcepta DEI facere, quo ad substantiam actuum. p. 15.*

Ergo sibi relictus homo, naturalibus viribus non potest excellentem verbi divini notitiam consequi & quidem tantam, ut & dicta Scripturæ difficultia illustrare, explicare & à corruptelis aliorum vindicare, imo ut totam fidei analogiam, sine ullius erroris misturâ tenere & de eâ concionari ac disputare queat.

IN NOMINE JESU!  
- Thesum de Tempore,  
Ex  
**AUGUSTANA CON-  
FESSIONE EJUSQUE  
APOLOGIA,**

Et quidem Art. XIX. XX. XXI. retentis ferè ipsis  
librorum Symbolicorum verbis,  
excerptarum

**MANIPULUS XI.**

*Quas,*  
Cum Porismatibus inde deductis,

*P R A E S I D E*

**SAMUELE SCHELGUIGIO,**

S. Theol. D. & P.P. Athenæi Rectore

& ad SS. Trinit. Pastore,  
Publicæ disputatiunculæ subjicit  
RESPONDENS

JACOBUS JOACHIMUS WENDIUS, Bütoviâ-Pom.

OPPONENTIBVS

THEODORO JOHANNE WILLICHIO, Bütoviâ-Pom.

&

FRIEDERICO GODOFREDO WEGERO, Stolbergensi Saxone.

Habebitur in Auditorio ordinario

d. XXI. Januar. M DC XCVII.

---

*G E D A N I,*

Typis JOHANN-ZACHARIE STOLLII.

VIRIS  
Nobilissimo, Experientissimo atq; Excellentissimo,  
**DN. OTTONI DIETERICO VOEGE-**  
**DINGIO,**

Medicinæ D. celeberrimo, ut & Physico civitatis plu-  
rimorum annorum meritis gravissimo:

ut &

Admodum Reverendo, Amplissimo & Doctissimo,  
**DN. M. MICHAELI ULMITZ,**

Ad Æd. S. Corporis Symmystæ vigilantissimo, meritiissimo,  
Dominis Patronis, Mæcenatibus, Evergetis, devoto ani-  
mi cultu atq; observantiâ, colendis,  
Theologicas hasce primitias, in debitâ gratitudinis tesseram,  
ulteriore Eorundem sibi favorem conciliaturus, dedicat

RESPONDENS.

Ex ARTIC. XIX. De CAUSA PECCATI.

**D**E causa peccati docemus, quod tametsi Deus creat & conservat  
naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum, videli-  
cet, Diaboli & impiorum, que, non adjuvante Deo, avertit  
se à DEO. p. 15.

Ergo cum typo sanorum verborum haudquaquam con-  
venit, quod Deus singulari & memorabili consilio, inter he-  
terodoxos quibusdam oculos, quasi manu objectâ, occludat, ne in  
omnibus veritatem divinam cognoscant, ut salis loco apud su-  
os maneant. Nam qui veritatem, quam cognoscere potest  
& debet, non cognoscit, in eo quo non cognoscit, se à DEO  
avertit: Quod si igitur Deus ei oculos occluderet, utique  
adjuvante Deo se averteret à Deo, & sic Deus causa peccami-  
nosæ illius aversionis foret.

Ex ARTIC. XX. De BONIS OPERIBUS.

I. Falsò accusantur nostri, quod bona opera prohibeant. Nam  
scripta eorum, que extant de decem præceptis, & alia simili argumen-  
to,

to, testantur, quod utiliter docuerint de omnibus vita generibus & officiis, quae genera vita, quae opera, in qualibet vocatione, DEO placeant. p. 15. 16.

Ergo nunc etiam ad scripta, ( addo conciones ) nostratum, quae non solum ante hæc certamina, sed & durante lite, oculos auresque expleverunt, contra easdem aut non multò absimiles calumnias Novatorum, tutò provocamus.

II. Doctrinam de fide oportet in Ecclesiâ præcipuam esse. p. 16.  
Quamquam autem hec doctrina contemnitur ab imperitis, tamen experiuntur piæ ac parvæ conscientiae, plurimum eam consolationis afferre; quia conscientiae non possunt reddi tranquilla, per ulla opera, sed tantum fide; cum certò statuunt, quod propter Christum habeant placatum Deum. p. 17.

1. Ergo falluntur, qui doctrinæ de fide in Ecclesiâ præferrunt doctrinam de operibus.

2. Ergo pro imperitis habendi, qui sanam hancce de fide doctrinam contemnunt & calumniantur.

3. Ergo iidem contemtores in periculo haud levi versantur, si conscientia, quæ nunc fortasse aliquandiu dormit, evigilet & legalis justiciæ, quam tantopere in aliis urserunt, rationem ab illis exigat.

4. Ergo hujusmodi corruptoribus sanæ doctrinæ, quibus fieri potest modis, resistendum.

III. Allegant Adversarii ex Petro: ( 2. Epist. I. 10. ) Studete firmam facere vocationem vestram &c Jam vides, Lector, adversarios nostros non perdidisse operans in descendâ Dialecticâ, sed habere artificium ratiocinandi ex Scripturis prorsus quidquid libet. Facite firmam vocationem vestram per bona opera: igitur bona opera merentur remissionem peccatorum. Sanè concinna erit argumentatio, si quis si ratiocinetur de reo capitalis poenæ, cui poena remissa est; Magistratus præcipit, ut in posterum abstineas ab alieno: Igitur per hoc meritus es condonationem pœnæ, quod nunc ab alieno abstines. Sic argumentari, est ex non causâ, causam facere, &c. p. 222. Et post pauca: Adsunt alia testimonia non melius coherentia ibid.

I. Er-

1. Ergo Lógica usum habet in Theologiâ, non solum ut doceamur, quid & quomodo aliquid ex alio sequatur; sed etiam, ut adversarios à recto tramite aberrantes, in orbitam reducamus.

2. Ergo Philosophia sobria, cuius seu pars, seu instrumentum est Logica, ex Scholis Christianorum haudquaquam extermindâ est.

3. Ergo sine læsione charitatis Christianæ, adversarios ad absurdum deducere licet.

Videntur tamen nobis adversari illa p. 231. Audivimus excellentes Theologos desiderare modum in Scholasticâ doctrinâ, que multò plus habet rixarum Philosophicarum; quam pietatis. Resp. per tritum versiculum: *Uſus habet laudem; crimen abuſus habet.* Nostra quidem sententia de usu Philosophiæ, jam An. M. DC. XCI. d. XXX. Aprilis, sequenti Pronunciato includebatur: *Indirectè Philosophia, etiam in spiritualibus, aliquid confert: non quidem ut medium, ullo modo efficax ad fidem accendendam, conservandam aut augendam; sed tamen ut instrumentum pedagogicum, quo Christiani in applicatione Verbi non sine fructu uti queunt; ut proinde non mereantur audiri, qui studiis illis per se consideratis, studium pietatis impediri somniant.*

Ex ARTIC. XXI. De CULTU SANCTORUM.

I. Citant Adversarii Hieronymum contra Vigilantium. Sic & triumphant, quasi jam debellatum sit, nec vident isti asini, apud Hieronymum contra Vigilantium nullam extare syllabam de Invocatione. p. 223. Add. p. 297.

Ergò in Disputatione contra Adversarios, ubi lenitate nihil proficitur, ad duriora verba descendere fas est, ne sapere sibi videantur. Proverb. XXVI. 4. Hac, ut opinamur, de causâ Confessores nostri Adversarios suos coram Imperatoriâ Majestate alibi etiam vocabant fatuos. p. 279. impudentes, p. 282. stultos, p. 283. homines nihili. pag. 283. imò nebulares, pag. 480.

IN NOMINE JESU!  
Thesum de Tempore  
Ex  
**AUGUSTANA CON-  
FESSIONE EJUSQUE  
APOLOGIA,**

Et quidem Art. XXI. & Part. II. Art. I. retentis ferè ipsis li.  
brorum Symbolicorum verbis, excerptarum,

**MANIPULUS XII.**

Quas  
Cum Porismatibus inde deductis,

**P R A E S I D E**

**SAMUELE SCHELGUIGIO,**

S. Theol. D. & P. P. Athenæi Rectore

& ad S. S. Trinit. Pastore,

Publicæ disputatiunculæ exponit,

**R E S P O N D E N S**

JACOBUS MULLERUS, Stolpâ-Pomeranus,

OPPONENTIBÙS

BARTHOLOMÆO HAUKIO, Stargardiâ-Borusô

&

JACOBO JOACHIMO WENDIO, Bútovieni  
Pomerano.

Habebitur in Auditorio Ordinario

die XXII. Januarii, M DC XCVIII.

---

**G E D A N I,**

Typis JOHANN-ZACHARIAE STOLLII.

VIRIS

Plurimum Reverendis & Amplissimis,

DN. EILHARDO ZIRENBERGIO,

Ad Eadem D. Bartholomæi Pastori meritissimo,

DN. JOHANNI FALCKIO,

Ad Eadem S. Catharinæ

ut &

DN. DANIELI Schmidt /

Ad Eadem S. Corporis Symmystis vigilantissimis;

Mecenatibus ac Patronis meis summâ humillitate devenerandis,

Exercitationem hancce Theologicam, in debitam gratitudi-  
nis tesseram, ulterioremq; Eorundem sibi favorem con-  
ciliaturus, dedicat offertque

RESPONDENS.

---

II. **D**ebemus DEO gratias agere, quod dederit Doctores & alia  
dona Ecclesie. p. 223. 224. Interfectis (aut, quæ mor-  
alis imperfectio est, loco motis) bonis Docteribus, oppres-  
sâ sanâ doctrinâ, posteâ existent fanatici Spiritus, quos non pote-  
runt reprimere Adversarii, qui & Ecclesiam impiis dogmatibus  
perturbabunt, & totam ecclesiasticam politiam evertent, quam nos  
maxime cupimus conservare. p. 232.

I. Ergo ingratiani DEUM sunt, qui Doctores de Ecclesia  
optimè meritos, non solum vivos, sed etiam pridem in Do-  
mino mortuos, indignè tractant. Horret animus ab eo, qui Ec-  
clesiæ nostræ membrum se profitetur, legere sequentia: Per  
orthodoxiam vera doctrinam intelligatur, non morosa quorundam  
Lutheranorum sola speculatio & commentationes cum commentis,  
quibus Poiret servili jure famulari abnegat; non itidem Scriptura  
& sanerationi. Qui verò nostri illi? An Lutherus, qui librum de  
servo Arbitrio contra Erasmus, nondum retractavit? An Melan-  
chton, DEUM autorem peccati faciens? An Chemnitius, absolu-  
tum decretum statuens? An Jacobus Andreæ, monstruosam ubiquita-  
tem obtrudens? An novitii alii? Ut taceamus, quæ contra A-

tha-

thanasiū, Cyrillum Alexandrinū &c. improbo ore aut calamo effutiuntur.

2. Ergò quid exspectari potuerit, ubi Novatores brachio seculari, ad remotionem usque Orthodoxorum abusi sunt, ante eventum patuit. Neque enim fallit Apostoli præsagium 2. Thess. II. 10. 11. *Eò quod charitatem veritatis non receperunt, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati; sed consenserunt iniquitati.*

3. Ergo pro quibus habendi fint, qui hodie Ecclesiasticam politiam disturbare atque evertere conantur, dispalescit, nempe pro *Fanaticis & Spiritu fanatico* actis.

4. Ergò ex eadem fonte scaturiunt, quæ ex odio politiæ Ecclesiastice de *Papiis* aut *Statistis* Evangelicorum blate-rando ebuccinantur.

III. Adversariis vitio vertitur, quod non dent operam, ut extet apud populum certa quadam summa dogmatum ecclesiastico-rum. p. 232.

Ergò ex adverso laudabiliter atque utiliter apud nos summa dogmatum ecclesiasticorum, in libris Symbolicis & Systematicis exhibetur.

IV. Hoc officium DEO maximè omnium debet Magistratus, sanam doctrinam conservare & propagare, & defendere recta docentes. Id enim postulat Deus, cum Reges ornat nomine suo, & Deos appellat, inquiens: *Ego dixi; Dii estis: ut res divinas, hoc est Evangelium Christi, in terris conservari & propagari current, & tanquam vicarii DEI vitam & salutem innocentium defendant.* p. 232.

Ergò nova & prodigiosa dogmata merito censentur illa, (1) quod injuriosi sint in Principes Christianos, qui ipsorum jura quoad Ecclesiastica, cum Juri bus Regum Israeliticorum comparant; (2) quod in Scripturâ nihil extet ad Principes Christianos directum, quo ipsis peculiare officium in Ecclesia injungatur; (3) quod exemplis Constantini M. Theodosii aliorumque

Impe-

*Imperatorum (Israelicorum Principum vestigia prementium) titulo nisi nequeamus; quippe qui non tam vitio proprio, quam illorum Clericorum, quibus erant obsesi, multa in Jure circa sacra perpetrarint, que defendi nequeant.*

*Ex PRÆEAT. PARTIS. II.*

*Facile hoc judicari potest, nihil magis prodesse, ad dignitatem ceremoniarum conservandam, & alendam reverentiam ac pietatem in populo, quam si ceremonia ritè fiant in Ecclesiis. p. 20.*

Ergo cerebri malesani excrementa sunt (1) Quod naturaliter nulla externa ceremonia in cultu exigatur. (2) Quod DEUS, ut cordium scrutator, nullas curet ceremonias. (3) Quod Christus Jesus religionem introduxerit religioni naturali, ceremoniarum experti, ferè conformem. (4) Quod de Adiaphoris, nihil præcipiat jus divinum (5) Quod ceremoniae omnes subjaceant voluntati solius Principis, ut pro lubitu eas introducere, mutare, abolere queat, rametsi ex universalis atq; ab ipso Principe approbati Concilii sententiā, receptorae sint. (6) Quod hoc ipsum specialiter obtineat, si referatur ad Exorcismum baptismale, Musicam instrumentalem, Imagines templorum nostrorum, Cantiones latinas, Confessionem privatam, panes orbiculares in Eucaristia usitatos, distributionem panis eucharisticis, formulas in distributione consuetas, signum crucis, imò etiam ad templa; quorum exstructio (planè ut Quackeri sentiunt) pro signo cordis ab Antichristo occupati & paganizantis venditatur.

*Ex ARTIC. I. PART. II. De UTRAQUE SPECIE.*

*Tota Ecclesia, auctoritate Christi, non auctoritate humana utitur Sacramento, p. 233. utpote quod institutum est ad consolandas & erigendas territas mentes, cum credunt, carnem Christi, datam pro vita mundi, cibum esse; credunt se conjunctos Christo vivificari. p. 235.*

Ergo Eucaristia non tantam pertinet ad infantiam Ecclesie, aut ad tyrones in Christianismo. Vid. Art. X, Part. I, Thes. I.

IN NOMINE JESU!  
Thesum de Tempore,  
Ex  
**AUGUSTANA CON-  
FESSIONE EJUSQUE  
APOLOGIA,**

Et quidem Art. II. III. & IV. Part. II. retentis ferè ipsis  
librorum Symbolicorum verbis,  
excerptarum

**MANIPULUS XIII.**

*Quas,*  
Cum Porismatibus inde deductis,

*P RÆSIDE*

**SAMUEL SCHELGUIGO,**

S. Theol. D. & P. P. Athenæi Rectore

& ad SS. Trinit. Pastore,  
Publicæ disputatiunculæ subjicit

*RESPONDENS*

BARTHOLOMÆUS HAUCK, Stargardiæ-Boruss.

*OPPONENTIBUS*

ANDREA CASPARE ROTHIO, Falckenburgo-Neomarchico,

*&*

JACOBO ZIZAU, Pentzlinensi Mecklenb.

Habebitur in Auditorio ordinario  
*d. IV. Februar. M DC XCVIII.*

---

*G E D A N I,*

Typis JOHANN-ZACHARIAE STOLLII.

VIRIS

Prudentissimis, Speciosissimis, Integerrimisque,

DN. Gottlieb KERNERO,  
DN. Gottfried ABRAMSON,  
DN. NATHANIELI ZUTER,

Laudatissimi Emporii Ged. Negotiatoribus Florentissimis,

Macenatibus ac Fautoribus omni quo decet honoris cultu  
prosequendis,

Hoc quicquid est speciminis Theologici, cum ardentissimo omnigenæ felicitatis voto, in ulteriorem sui commendationem, decentissime offert  
Barthol. Hauck.

---

EX ARTIC. II. PART. II. DE CONJUGIO SACERDOTUM.

**C**onjugium non solum procreationis causâ necessarium est, sed etiam remedii causâ, p. 239. Add. p. 22. 246. 247. Ideò in primis oportuit hoc tempore severissimis legibus, atque exemplis munire conjugium, & ad conjugium invitare homines. p. 246. Quæ de naturâ hominum in genere disputationes, profecto etiam ad Sacerdotes pertinere judicamus, p. 239. Legem de cœlibatu constat superstitionem & periculosam esse. p. 237. Paulus vocat doctrinam Demoniorum, quæ prohibet conjugium. p. 23. Add. p. 248. Res debebat relinquere libera; non debebant injici laquei imbecillis, per hanc legem. p. 240. Exempla commemorare possemus, ubi valde perturbatae sunt piæ quædam conscientie, propter legitimum usum conjugii. Id malum erat natum ex opinionibus Monachorum superstitione laudantium cœlibatum. p. 245. Add. p. 34. 35.

i. Ergo

1. Ergo in tempore obſtendum illis, qui Conjugium, præſertim Ministrorum Ecclesiæ, vel expreſſè convitantur, vel subdolè impetunt; ut lector, non prorsus obesæ naris, facile ſubolfaciat, quo collimetur.

2. Ergo falſum eſt, quod Paulus Apoſtolus 1. Tim. III.

12. Tit. V. 9. polygamiam ſuccellivam Ministris Ecclesiæ prohibuerit.

*EX ART. III PART. II. DE MISSA.*

I. Opus eſt ceremoniis, ut doceant imperitos, p. 23. 24. Ceremoniæ debent obſervari, tum ut diſcant homines Scripturam; tum ut verbo admoniti concipient fidem, timorem, atque ita orent etiam: nam hi ſunt fines ceremoniarum. p. 250. Candeſe, vaſa aurea, & ſimiles ornatus, decent; ſed non ſunt proprius ornatus Eccleſie. p. 263.

Ergo ceremoniarum hostes, aut maledicere nobis, ceu ſuperſtitioſis, definiant; aut ſe à Confefſione Auguſtanæ alienos eſſe, ne imperitos fucum ulterius faciant, tandem aliquando publicè fateantur. Vid. Præfat. ad Part. 2. Thel. unic.

II. Apud nos ſerviunt ministerio verbi Sacerdotes, docent Evangelium de beneficiis Chriſti, oſtendunt remiſſionem peccatorum gratis contingere propter Chriſtum. Hec doctrina affert firmax consolationem conſcientiis. Additur & doctrina bonorum operum, quæ DELIS præcipit p. 262. Sacerdotium N. T. eſt miſtērium Spiritus, ut docet Paulus 2. Cor. III. 6. Ideo unicum habet ſacrificium Chriſti ſatiſ factorium & applicatum pro peccatis aliorum. Ceterū nulla habet ſacrificia ſimilia Leviticis, quæ ex opere operato applicari pro aliis poſſint; ſed exhibet aliis Evangelium & Sacra menta, ut per haec concipient fidem & Spiritum S. & mortificentur & vivifcentur; p. 265.

Ergo Miniftri Eccleſiarum noſtrarum recte appellantur Sacerdotes. Vid. Pars. I. Art. 13. Thel. 2.

III. Videtur Baaliticus cultus, hoc eſt, abuſus Miſſarum, una cum regno Pontificio duraturus eſſe, donec veniet Chriſtus ad iudicandum.

dicandum, & gloria adventus sui perdet regnum Antichristi. p. 275.

1. Ergo non mille annis antè gloriam adventus Christi ad judicandum (quem adventum unicum adhuc exspectant Confessores. Part. I. Art. 3.p.10.) regnum Antichristi interribit.

2. Ergo qui concionibus & cantionibus, extremi judicii propinquitatem, annuntiantibus, fidem derogant, frustà sibi blandiuntur, quòd in limine regni Chiliasmici jam consistant.

*EX ARTIC. IV. PART. II. DE CONFESSIONE.*

I. *Confessio in Ecclesiis apud nos non est abolita: non enim solet porrigi corpus Domini, nisi anteà exploratis & absolutis: Et docetur populus diligentissimè de fide absolutionis, de quā ante hæc tempora, magnum erat silentium. Docentur homines, ut absolutionem plurimi faciant; quia sit vox DEI, & mandato DEI pronuncietur. Ornatur potestas clavium & commemoratur, quantum consolationem afferat, perterrefactis conscientiis, & quod requirat Deus fidem, ut illi absolutioni, tanquam voci de cælo sonanti credamus. p. 27. Confessio cùm propter maximum absolutionis beneficium, tum propter alias conscientiarum utilitates, apud nos retinetur. p. 28.*

Ergo apostasiam ab hoc libro nostro symbolico apertè produnt, qui Confessionem, qualis à tempore oblati symboli, usque ad hunc diem in usu fuit, directè aut indirectè allatrant: de quibus vid. Pars I. Art. XI. Thes. 1.

II. *Hoc Adversarii tribuere nobis coguntur, quod doctrina de pœnitentiâ diligentissimè à nostris tractata ac patefacta sit. p. 27.*

Ergò, quoniam doctrinam de pœnitentiâ, à Lutherò hujusdemque in salutari Reformationis negotio cooperariis, diligenter tractatam ac patefactam, non minori diligentia, conservamus & ad posteros propagamus, mendacissimæ Novatorum querelæ sunt, quod in tradendo hoc articulo defectus, novâ Reformatione indigentes, occurrant.

IN NOMINE JESU!

Thesum de Tempore

Ex

AUGUSTANA CON-  
FESSIONE EJUSQUE  
APOLOGIA,

Et quidem Art. V. & VI. Part. II. retentis ferè ipsis li-  
brorum Symbolicorum verbis, excerptarum,

MANIPULUS XIV.

Quas

Cum Porismatibus inde deductis,

PRÆSIDE

SAMUELE SCHELGUIGIO,

S. Theol. D. & P. P. Athenæi Rectore

& ad S. S. Trinit. Pastore,

Publicæ disputatiunculæ exponit,

RESPONDENS

CHRISTOPHORUS BRAUERUS, Rügenwaldia-Pom.

OPPONENTIBUS

BARTHOLOMÆO HAUKIO, Stargardiæ-Borussiæ

&

JACOBO ZIZAU, Mecklenb.

Habebitur in Auditorio Ordinario

die VII. Februarii. M DC XCVIII.

---

GEDANI,

Typis JOHANN-ZACHARIAE STOLLII.

VIRIS  
Admodum Reverendis, Amplissimis, Doctissimisque,  
**DN. HENRICO NOTHWANGER,**

Ad Aedem D. Johannis Symmystæ vigilantissimo,  
meritissimoque &  
**DN. MICHAELI WUNDSCHIO,**

Ecclesiæ Mævensis Pastori fidelissimo solertissimoque:  
Dominis Patronis, Mecenatibus, Evergetis, nullo non observantia  
& pietatis genere, ad cineres usque prosequendis,  
colendisque,

Hoc quicquid est speciminis Theologici,  
cum ardentissimo omnigenæ prosperitatis  
voto, in devinctissimum animi argumen-  
tum, suique ac studiorum suorum pro-  
motionem ulteriore, decentissime offert  
RESPONDENS.

---

*EX ARTIC: V. PART. II. DE DISCRIMINE CIBORUM.*

---

I. **D**octrina de gratiâ & justitiâ fidei, quæ est præcipua pars  
Evangelii, quam maximè oportet extare & eminere in  
Ecclesiâ, ut meritum Christi benè cognoscatur, & fides  
quæ credit remitti peccata propter Christum, longè supra opera col-  
locetur. p. 28.

Ergo rem suam malè agunt, qui doctrinam hanc raro aut  
segniter suis inculcant; quin imo alias, officio ritè defungen-  
tes, calumniantur. Vid. Pars. I. Art. V. Thes. 5.

II. Servantur apud nos plerèque traditiones, quæ conducunt  
ad hoc, ut res ordine geratur in Ecclesiâ, ut ordo lectionum in  
Missâ & præcipua feriæ. p. 31.

Ergo traditionum ceremonialium hostibus ac proditori-  
bus contradicendum, ne apostasiæ ab Augustanâ Confessione,  
jure à quoquam postulari queamus. Vid: Pars I. Artic. XV.  
Thes. 1. & Præfat. ad Part. II. Thes. unic.

III. Gerson (approbantibus Confessionis nostræ Auctori-  
bus)

bus) scribit, multos incidisse in desperationem, quosdam etiam sibi mortem concivisse, quia senserant, se non posse satisfacere traditionibus, & interim consolationem nullam, de justitiâ fidei & de gratiâ audierant. p. 29.

Ergo simile, imò majus etiam periculum haud abs reme-  
titur, si qui de justitiâ fidei & de gratiâ parum aut nihil au-  
diant, renovatis veterum hæreticorum traditionibus, de possi-  
bilitate perfectionis legalis, ad salutem necessariæ, deq; difficul-  
tate, imò impossibilitate post lapsum aliquoties iteratum rede-  
undi ad gratiam impetrandum. Vid. Pars I. Art. XI. Thes.  
I. Exempla sanè, prostant eorum qui hisce Novatorum do-  
gmatibus desperationē adacti, aut manus sibi ipsis injecerunt,  
aut ne perterriti & ad injicerent, vix prohiberi potuerunt.

*EX ARTIC. VI. DE VOTIS MONASTICIS.*

I. Docent apud nos, quòd licet omnibus, qui non sunt idonei  
ad celibatum, contrahere matrimonium; quia vota non possunt  
ordinationem ac mandatum Dei tollere. Est autem hoc manda-  
tum Dei: Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem su-  
am. Nequè mandatum solum, sed etiam creatio & ordinatio DEI  
cogit hos ad conjugium, qui singulari DEI opere non sunt exce-  
pti; juxta illud: Non est bonum homini esse solum. Igitur non  
peccant isti, qui obtemperant huic mandato & ordinationi DEI.  
P. 33. 34.

Ergò male consulunt Ecclesiæ, qui nimiâ cœlibatus lau-  
de, laqueos injiciunt conscientiis, Vid. Part. II. Art. II. Thes.  
unic.

II. Perfectio Christina est, serio timere Deum, & rursus con-  
cipere magnam fidem & confidere propter Christum, quòd habe-  
mus Deum placatum; petere à Deo, & certò expectare auxili-  
lum: in omnibus rebus gerendis, juxta vocationem; Interim fo-  
ris diligenter facere bona opera, & servire vocationi. In his re-  
bus est vera perfectio & verus DEI cultus. p. 36. Bonum & per-  
fectum vitæ genus est, quod habet mandatum Dei. p. 37. Perfe-  
ctio nobis est, obedire unumquemque verâ fide sua vocationi. p.  
287.

Ergo

Ergo non abhorremus à nomine, aut etiam à doctrinâ perfectionis. Nam & nos docemus (1.) quod fide in Christum nobis obtingat perfectio evangelica, de qua in Thesi agitur, (2.) quod operibus & exercitiis contendere debeamus ad perfectionem legalem, de quo extat p. 285. Omnes homines, in quacunque vocatione, perfectionem expetere debent, hoc est, crescere in timore Dei, in fide, in dilectione proximi, & similibus virtutibus spiritualibus. (3.) quod, si persona Deo reconciliata est, etiam opera, quæ ex fide fiunt, qualiacunque apparent coram hominibus, perfecta censeantur coram DEO: non propter id, quod juxta legem fit; sed propter id, quod juxta Evangelium ignoscitur. Id vero, Scripturâ præeunte, omnibus modis negamus, hominem posse fieri legaliter perfectum. In quo rursus Apologiam habemus præeuntem. p. 282. Extrema impietas est sentire, quod Decalogo satisficiamus: Cum hæc præcepta omnes sanctos accusent: Diligas Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo. Item: Non concupiscas. Propheta att: Omnis homo mendax, est, non recte de Deo sentiens, non satis timens, non satis credens Deo.

III. Perfectio non est in observatione eorum, que dicuntur *αδιάφορα*. p. 282.

Ergo nec est, quod Novatores ex eo de spiritualitate gloriantur, aliisque carnalitatem objicant, quia singularitatem aliquam in abstinentiâ à rebus per se indifferentibus affectant.

IV. Stultæ sunt observationes vestium & similium nugarum. p. 283.

Ergo pro sapientiâ haberi nequit, si quis in dimissis palliis (Knico Mantel) in numero fercolorum aut haustum, in oculis terræ affixis, similibusque gestibus, in Pythagorico silencio &c. sanctitatem consistere arbitratur. Vid. Part. II. Art. XV. Thes. 2.

IN NOMINE JESU!  
Thesum de Tempore,  
<sup>Ex</sup>  
**AUGUSTANA CON-**  
**FESSIOINE EJUSQUE**  
**APOLOGIA,**

Et quidem Art. VI. & VII. Part. II. retentis ferè ipsis  
librorum Symbolicorum verbis,  
excerptarum,

**MANIPULUS XV.**

*Quas,*  
Cum Porismatibus inde deductis,

*P R A E S I D E*

**SAMUEL SCHELGUIGIO,**

S. Theol. D. & P.P. Athenæi Rectore  
& ad SS. Trinit. Pastore,  
Publicæ disputatiunculæ subjicit

**RESPONDENS**

**JOSUA MATTHÆUS HESSIUS,**

**OPPONENTIBUS**

**IMMANUELE RÜHN/**

**&**

**ZACHARIA DEZIO,**

Colbergæ Pomeranis.

Habebitur in Auditorio ordinario

*d. XXVI. Februar. M DC XC VIII.*

---

**G E D A N I,**

Typis JOHANN-ZACHARIÆ STOLLII.

VIRIS

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo, Doctissimoq;  
DN. JOHANNI BERG/  
Senatori Civitatis Colbergensis gravissimo, Parentis  
loco venerando;

ut &

Plurimum Reverendo, Clarissimo, atq; Doctissimo,  
DN. PAULO MULLERO,  
Symmystæ ad Ædem Sp. S. ibidem vigilantissimo,  
Avunculo suo adamantisimo;

Dominis Patronis, Evergetis, Promotoribus,

Has conatuum suorum primitias, cum  
ardentissimo omnigenæ prosperita-  
tis voto,  
submissâ mente consecrat

RESPONDENS.

---

V.

R Erum divisio, dominia & possessio, sunt ordinationes civiles,  
approbatæ verbo Dei, in præcepto: Non furtum facies. De-  
sertio facultatum non habet mandatum aut consilium in Scri-  
pturis. p. 287. Periculosem est, rem pugnantem cum civili con-  
suetudine, immoderatis laudibus efferre. p. 287.

Ergo præter rem communio bonorum svadetur. Vid.  
Part. I. Artic. XVI. Thes. unic.

ARTIC. VII. PART. II. DE POTESTATE ECCLE-  
SIASTICA.

I. Noſtri docent, utramque potestatem ( Politicam & Eccle-  
ſiasticam) propter mandatum Dei, religiosè venerandam & hono-  
re afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris p. 37.  
Dicer-

*Discernunt nostri utriusque potestatis officia, & jubent utramq;  
honore afficere & agnoscere utramq;  
Dei donum & beneficium  
esse. p. 39.*

Ergo ab Augustanâ Confessione aliena docet (1.) qui Ecclesiæ veræ omnem, aut penè omnem potestatem denegat (2) qui distinctionem utilissimam, inter externa & interna Ecclesiæ, sine quâ in quo Ecclesiastica potestas Politicæ opposita consistat, explicari commodè nequit, eliminata ē cupit, (3.) qui Magistratui ut tali potestatem in interna Ecclesiæ adscribit: quo ipso de verâ religione actum erit, si Magistratus falsæ religioni adstipuletur, hujusdemque propagationi, cum illius extirpatione, animum applicet. (4.) qui novis ac inauditis hypothesis Ecclesiasticam & Politicam potestatem inter se committit, Mosen ad opprimendum Aaronem inflamat, atque Ecclesiasticum ordinem, ne nomine quidem, aut vestibus, multò autem minùs honore aliquo, à reliquis ordinibus discerni, & quo animo patitur,

II. Sic nostri sentiunt, potestatem clavium, seu potestatem Episcoporum juxta Evangelium potestatem esse, seu mandatum Dei, prædicandi Evangelium, remittendi & retinendi peccata & administrandi Sacra menta. p. 37. 38. Secundum Evangelium, seu, ut loquuntur, de jure divino nulla jurisdictione competit Episcopis ut Episcopis, hoc est his, quibus est commissum Ministerium verbi & sacramentorum, nisi remittere peccata, item, cognoscere doctrinam & doctrinam ab Evangelio dissentientem rejicere, & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ, sine vi humanâ, sed verbo. Hic necessariò & de jure divino debent eis Ecclesiæ prestare obedientiam, juxta illud: Qui vos audit me audit p. 39. Politica administratio versatur circa alias res, quam Evangelium. Magistratus defendit non mentes,  
sed

*sed corpora & res corporales, adversus manifestas injurias, & coer-  
cet homines gladio & corporalibus pœnis, ut iustitiam civilem &  
pacem retineant. Non igitur commiscenda sunt potestas Ecclesi-  
stica & Civilis. p. 38.*

Ergo Augustanæ Confessioni haudquam conveniunt sequentes hypotheses (1.) quod conciones non pertineant ad interna Ecclesiæ Sacerdotio divinitus commissa (2.) quod in concionibus non tractandæ sint controversiæ (3.) quod elenchus contra heterodoxos à Magistratu prohiberi possit & obdurato Doctorum ore, prohiberi debeat (4.) quod plus situm sit in puritate vitæ, quam in puritate doctrinæ (5.) quod heterodoxis voce & calamo resistere sit antichristianus zelus & persecutio (6.) quod qui heterodoxis gladio Spiritus resistit, in regalia Principis involet (7.) quod ne tori quidem Ecclesiæ jus controversias fidei ita decidendi competit, ut membra Ecclesiæ singula, ad recipiendam decisionem obligentur (8.) quod in judicio de controversia fidei, docentes nullà prærogativâ gaudeant præ discentibus (9.) quod in Concilio legitimè congregati non haberi mereantur pro Commissariis Ecclesiæ, Ecclesiam repræsentantibus (10.) quod decreta Conciliorum, etiam oecumenicorum, ut Niceni & Chalcedonensis, præ ceteris invisorum, nihil aliud sint, quam privatæ Confessiones eorum, qui convenerant, ad alios qui abfuerunt non spectantes, nisi quoadusq; ab his liberè recipiuntur (11.) quod in Concilio, qui à doctrinâ heterodoxorum alieni sunt, eorum judices esse nequeant (12.) quod Concilio obedientiam denegantes, ne quidem errantibus accenserit, multòq; minus pœnæ alicui subjici debeant (13.) quod cuilibet Christiano integrum sit Confessionem fidei novam condere & à Confessione totius Ecclesiæ hactenus receptâ discedere, eamque rejicere (14.) quod in docendo à Confessione publicâ recedens, non mereatur excommunicari &c.

IN NOMINE JESU!  
Thesium de Tempore  
Ex  
**AUGUSTANA CON-  
FESSIONE EJUSQUE  
APOLOGIA,**

Et quidem Art. VII. Part. II, retentis ferè ipsis li-  
brorum Symbolicorum verbis, excerptarum,

**MANIPULUS XVI.**

Quas

Cum Porismatibus inde deductis,

**P R A E S I D E**

**SAMUELE SCHELGUIGIO,**

S. Theol. D. & P. P. Athenæi Rectore

& ad S. S. Trinit. Pastore,

Publicæ disputatiunculæ exponit

**R E S P O N D E N S .**

**FRIEDERICUS GODOFREDUS WEGERUS, Stolberg. Sax.**

**O P P O N E N T I B U S**

**ANDREA CASPARE ROTHIO, Falckenburgensi,**

**&**

**JOHANNE GEORGIO Koch/ Soldinenfi Neo-Marchicis.**

Habebitur in Auditorio Ordinario

die III. Martii. M DC XCVIII.

---

**G E D A N I ,**

Typis JOHANN-ZACHARIÆ STOLLII.

VIRIS  
Plurimum Reverendis, Amplissimisq,  
**DN. FRIDERICO CHRISTIANO**  
**BUCHERO,**  
&  
**DN. JOHANNI CHRISTOPHORO**  
**ROSTEUSCHERO,**

Utrique antehac Gymnasi Gedanensis Professori celeberrimo:  
nunc autem

Illi ad Aedes D. Catharinæ, Huic ad Aedes S. Barbaræ  
Symmystis vigilantissimis,

*Dominis Patronis ac Fautoribus honoratisimis*

Hoc quicquid est speciminais Theologiei,  
cum ardentissimo omnigenæ prosperitatis  
voto, dedicat

RESPONDENS.

III.

**P**latet nobis vetus partitio potestatis in potestatem ordinis &  
potestatem jurisdictionis. Habet igitur Episcopus potestatem  
ordinis, hoc est, Ministerium verbi & sacramentorum; ha-  
bet & potestatem jurisdictionis, hoc est autoritatem excommuni-  
candi obnoxios publicis criminibus & rursus absolvendi eos, si  
conversi petant absolutionem. p. 294.

Ergo jure displicet nova veteris partitionis impugnatio,  
ab eo profecta, qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

IV.

**IV.** Res æterne, justitia æterna, spiritus & vita æterna non possunt contingere nisi per Ministerium verbi & sacramentorum, sicut Paulus dicit : *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* p. 38. *Vult Christus nos confirmare, quemadmodum opus erat, ut sciremus, verbum traditum per homines, efficax esse nec querendum esse aliud verbum de cœlo* p. 296.

1. Ergo facessat verbum internum à verbo externo essentialiter distinctum, quod immediate de cœlo descendere concipitur & prohibetur.

2. Ergo verbum externum, ut insitâ virtute præditum, non solum objectivè & significativè, sed etiam realiter, verè & propriè loquendo in spirituales effectus influit Vid. Art. V. Thes. unic. n. 2.3.

3. Ergo ad producendos effectus spirituales sufficit virtus insita verbo: neque analogiæ fidei conforme est, quod verbum externum, si fructum debeat ferre, demum in nobis vivificari oporteat.

**V.** Nos neque deferere veritatem necessariam Ecclesiae volumus, neque assentiri Adversariis condemnantibus eam possumus: Oportet enim Deo magis obedire, quam hominibus. Iſi rationem schismatis excitati reddent, qui manifestam veritatem condemnant. p. 296. 297.


1. Ergo ut Augustanæ Confessioni, ita etiam aliis libris Symbolicis, constanter inhærendum, nec in Adversariorum gratiam ab iis, vel latum ungvem, est recedendum.

2. Ergo cum à Novatoribus non solum tot articuli doctrinæ hactenus receptæ, sed etiam tota Ecclesia nostra, præfertim verò qui in eâ à perversæ novitatis contagio immunes sunt,

funt, condemnentur, nec jam deserenda est veritas, aut Adversariis condemnantibus assentiendum, ne à Deo, rationem facti schismatis olim severè exacturo, cum schismaticis condemnemur.

3. Ergo qui se in sectâ, in quâ natus est & educatus fuit etiamnum vivere profitetur, hoc ipso religionem, quam à tenebris imbibit, pro schismaticâ seu sectariâ habet. Quod si igitur in sectâ sciens volensque permanserit, æque schismatis continuati, atque alii schismatis excitati, tenebitur reddere rationem.


4. Ergo procul hinc, procul esto à nobis inaudita hactenus in Evangelicis Ecclesiis Hypothesis novi cuiusdam Naturalismo infecti Sophistæ: Statuo, fundamentum fidei esse amorem Dei ac proximi & odium ac contemptum sui ipsius. Qui hac impugnant errores, fundamentum fidei petunt; reliqui ad fundamentum fidei non pertinent. Ita Christianismus per Naturalismum effertur: Exequias, quibus Diabolo placere commodum videtur, eunto! Nos interea orabimus: O Deus in quæ nos tempora servasti? Miserere Ecceziæ tuæ & confunde hostes veritatis, per JEsum Christum  
Amen.














¶ (7) ¶

um confirmat, nec meam refellit objectionem. Item secundum anatomiam Logicam examinatae phrasis minaris, videsne aliter subruere te non sit propria cæderes vineta, fassus animam coram perfectius cognoscere & celebrare Deum. Unde necessitatem resurrectionis Platonis vel auctoribus tu hæc mihi ingeris? Quid attinet in coram intrudi, si veluti sarcina quædam eandem mit, Deumque soluta corpore melius cognoscere potest, ut tute fateris? Ad secundum tuum astra me arguis fallaciæ compositionis & divisionulæ tuæ conclusiones male procedunt, ut neliiores fiunt, si conjungantur. Reliqua quæ ibi differis, nihil magis cavens quam ne demonstrata utaris, legat cui vacat, quovis pignore excusam solidam repererit responsonem. Tertium um à bonitate Dei petitum videris tibi non mala à me prolatæ æmulari dicas blasphemiam Iul. 37. sed quæro ex te num Judæi illi ex bonitate oportantur oculos coeci nati necessario fuisse appetitus, inquis, quid itaque Judæis illis commune est rationibus? Quæ præterea promis five vera five arum ad rem faciat, accedo ad quartum arguerendo negas Ethnicos saniores corpus pro causa malorum hominis habuisse. Saniores gentiumitatum quæ homini contingunt causam in prius ediderunt. Recte. Sed nonne meministi formam receptaculum & instrumentum esse corpus? & voluptati locus vix esset sublato corpore, ambitor, quam nunc est. Αὐγοειδῆ σώματα Platonica ad ratorum glorificata non magis spectant quam utychis sententia de resurrectione convenit iis quæ